DE MEDEAE MYTHO

APUD ANTIQUOS SCRIPTORES ET ARTIFICES

J. H. GOEDHART

DE MEDEAE MYTHO APUD ANTIQUOS SCRIPTORES ET ARTIFICES.

DE MEDEAE MYTHO APUD ANTIQUOS SCRIPTORES ET ARTIFICES.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI P. J. BLOK, LITT. HUM. DOCT., IN FACULT. LITT. ET PHILOS. PROF., AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET **JOHANNES HENDRIK GOEDHART**, ROTERODAMENSIS, DIE X MENSIS JUNII, A. MCMXI, HORA IV.

LUGDUNI-BATAVORUM, APUD S. C. VAN DOESBURGH. — MCMXI.

AAN MIJN OUDERS.

AAN MIJN AANSTAANDE VROUW.

CONSPECTUS.

PRAEFATIO.

Medeae mythus quomodo a poetis atque ab artificibus sit tractatus exquirere mihi proposui ita ut quaenam singuli inter se communia habeant quave ratione distent statuam. Qua in re pervestiganda ab Euripidis Medea ordiar.

Aliud autem hodie est antiquorum monumentorum studium, aliud erat quo tempore Pyl [1]) primus de hoc argumento egit. Neque enim in monumentis recensendis ante hos sexaginta annos viri docti eam adhibebant in singulis rebus *μέθοδον* qua nunc utique opus esse quivis persuasum habet. Credebant permulti viri docti Pylii aequales, artis opera poematis plane respondere.

Quam opinionem falsam esse iam omnibus patet qui his studiis se dederunt a Roberto [2]) docti. Tamen is quoque nonnunquam quae inter tragoedias et monumenta intercederet ratio parum caute odoratus est. Prudentius certe hac in re egerunt et alii et Körte [3]), v. Prott [4]), Watzinger [5]);

1) Theod. Pyl, De Medeae fabula, Diss. Berol. 1850, id. Zeitschr. f. d. Alterthumswissenschaft 1854, p, 405 sqq.

2) Robert, Bild und Lied, 1881.

3) Vid. e. g. Berl. Phil. Woch. 1898, col. 1459 sqq.

4) Vid. Schedae philologicae Usenero oblatae, p. 57 sqq.

5) Watzinger, de vasculis Tarentinis, p. 33 sqq.

de quorum commentationibus quamquam severe iudicare neque libet mihi neque licet, hoc tamen dico eorum argumentandi rationem valde mihi placere. Meum enim libenter facio eorum de monumentorum arte recensenda placitum, quod sic fere meis verbis reddo: Errat qui imagine quadam admonitus mythi alicuius e tragoedia Attica noti, statim credat pictorem vel sculptorem quasi e manuscripto tragoediam illustrasse. Fuerunt enim olim *μυρίαι μύθων ὅδοι* quae magna ex parte iam evanuerunt, fuit ingens tragicorum poetarum numerus quorum hodie vix nomina novimus.

Varia denique variis temporibus fuerunt hominum iudicia, varia studia ita ut quae huic aetati placerent illi displicerent, quae alteri saeculo cognita essent alterum prorsus laterent.

Quoniam autem in relationibus istis statuendis ne peritissimis quidem iudicibus omnia bene successerunt meum opusculum leniter, quaeso, aestimet lector benevolus.

Restat ut singulorum capitum argumenta paucis significem. Primo igitur loco inquiram in Medeam Euripideam, ex quo intellegatur quid posteriores poetae in illustrissima fabula tractanda illi debuerint.

Capite secundo agam de artis operibus posteuripideis quae ad Medeam pertinent.

Tertio capite examinabo fabulae formam qualis exstiterit ante Euripidem cum apud poetas tum in artis operibus. Paucis denique comprehendam ea quae de antiquissima mythi forma statui posse videntur.

CAPUT I.

Quomodo Medeam Euripideam posteriores poetae secuti sint.

Mythi quem tractandum nobis proposuimus, formam ex Euripidis Medea sic fere constituere possumus. Regnabat quondam Iolci Pelias. Qui ubi Iasona fratris filium sibi perniciosum fore comperit, ipsum cum omnibus proceribus convocavit iussitque sibi afferre vellus aureum arietis olim a Phrixo dedicati, quod iam in terra Colchorum servaret draco *σπείραις πολυπλόκοις ἄυπνος ὤν.* Illius autem terrae rex, Aeetes nomine, advenas tantis dolis circumveniebat, ut vix ullus eorum incolumis abiret. Quod tamen Iasoni bene cessit. Is enim suscepto labore sociisque sibi ascitis conscendit navem Argo, quam variis tempestatibus vexatam tandem tutam ad Colchos appulit. Aeetes, ut hospites invisos a se depelleret, labores gravissimos imposuit Iasoni, quos ille heros, quamquam intrepidus, non poterat perficere nisi adiuvante Medea, Aeetae filia. Quae conspecto Iasone tanto amore incensa est, ut ad conservandum hospitem nihil intemptatum reliquerit; nae prodere patrem patriamque atque occidere fraterculum suum pro nihilo habuit.

Herbis atque artibus magicis effecit illa, ut Iason vellere potiretur. Inde sociato amore Iolcum revecti poenas sump-

1

serunt de Pelia crudelissimas. Suaserunt enim Peliadibus, ut patrem necarent, dissecarent, herbis additis recoquerent: ita fore ut iuvenili vigore recepto in vitam rediret. At dolo malo Medea ipsas pollentes herbas retinuit; Pelias vitam amissam non recuperavit. Unde Iason Medeaque profugi Corinthum venerunt, in qua urbe regnabat Creon. Mox Iasoni e re sua visum est cum domo regia se artis vinculis coniungere. Sperabat enim fore ut aut ipse regnum adipisceretur aut filius e tali matrimonio natus. Neque dubitavit repudiare Medeam, ut Creontis filiam duceret uxorem. Quae ira haud cohibita acerrime invecta est in Creontis domum atque in coniugem perfidissimum. Unde exilio punire eam rex statuit. Deprecanti vero unum diem ad iter parandum cedit Creon; qui unus dies vindictae atrocissimae sufficit. Initio quidem certum nondum stat magae consilium, sed postquam ab Aegeo Atheniensium rege refugium impetravit, varios complicat dolos, quibus in ultimam miseriam proiectura est Iasona necnon regem filiamque. Illum, quem modo conviciis pessimis petebat, quasi pudore mota verecunde alloquitur; prorsus circumducitur Iason, quippe qui nihil miretur uxoris animum mutatum. Ne Creon quidem dolum odoratur: Medeae pueri ut in urbe remaneant nil suspicatus concedit. Interea vindictam molita est Medea. Misit enim qui deprecarentur fugam pueros ad novam uxorem Iasonis, portantes venenatam vestem ipso contactu mortiferam. Perit illa, et eadem morte plectitur pater, ubi auxilio properans fatalem attigit vestem. Mox Iason ulcisci volens Medeam atque defendere pueros suos, qui, quamquam inscii, mortem Creusae effecerunt, omnia iam peracta esse videt. Medea enim ipsa filiis suis mortem iam attulit, et curru alato se in coelum tollit, extra hominum oculos.

Sic fere tragoediae nostrae argumentum decurrit. Fabulas

autem, quibus poeta dedit res nostro mytho cognatas, Peliades et Aegeum, et aliqua parte Phrixum et Ino, fusius tractare hic supersedemus, prae ceteris nunc id quaerentes, quonam vinculo fabulae posteriores cohaereant cum Medea Euripidea.

Atque hic primus se offert **Neophron**, cuius fragmenta[1]) eo maioris pretii sunt, quod ipsa ea continent, quae Euripidem plane nova excogitasse putaverit quispiam: pueros volo a matre necatos[2]). Sed veniamus ad ipsa fragmenta, quorum primum cum Euripide arte cohaerere, statim apparet; apparet quoque, Neophronem istum consulto mutasse exemplum suum. Aegei personam Neophron introduxit qui Medeam adeat ut de Pythiae oraculo certiorem se faciat; aperte causam indicavit poeta, cur adesset Aegeus. Atque id ipsum inde ab Aristotele[3]) omnes vitio verterunt Euripidi, Aegeum sine iusta causa prodire. Ergo Neophron quin ad superandum aemulatorem seniorem Aegei personam emendarit, non est quod dubitemus; non esset certe, si de ipso Neophrone magis firma indicia nobis praesto essent.

At, qui soli plura de obscuro poeta tradunt, Diogenes Laertius et Suidas[4]), vix digni sunt, quibus fidem habeamus. Diogenes narrat: Medeam Euripideam *ἐν τοῖς Νεόφρονος εἶναι τοῦ Σικυωνίου φασί*; eundem rumorem servavit Suidas. Fuerunt ergo, qui Euripidis fabulam notissimam Neophroni tribuerent. De ratione vero, quae intercesserit

---

1) Servata in Schol. ad Eur. Med. 666, 1387 et apud Stobaeum (Flor. XX 34). vid. Nauck T. G. F.² p. 729—732.

2) Video, multos viros doctos (ut nuper v. d. Galli: Medea Corinzia nella tragedia classica e nei monumenti figurati p. 16) intellegere e Stobaei loco (Flor. XX 34), Medeam ibi coram spectatoribus necare pueros. At ego contrarium efficio e verbis *παῖδες ἐκτὸς ὀμμάτων ἀπέλθετε.*

3) Aristoteles de Arte poetica C. 25.

4) Diog. Laert. II, 134; Suid. i. v. *Νεόφρων.*

inter utrumque opus nihil nos docent loci citati. Atqui, si Neophronis fragmenta quae quidem nos novimus, Diogeni vel Suidae nota fuissent, fieri non potuisset ut talia scriberent.

Nunc audiamus virum clarissimum v. Leeuwen ingeniose disputantem [1]) corrupta verba in fabulae Euripideae argumento sic esse refingenda: *τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι* (Euripides), *διὰ* (codd. *παρὰ*) *Νεόφρονος διασκευάσας ὡς Δικαίαρχος ἐν γ' τοῦ τῆς Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν Ὑπομνήμασι*, i. e. „post repulsam anno 431 acceptam [2]) Euripides fabulam retractatam, Neophronis nomine, iterum iudicibus obtulit." At cur poetae tam a servili obsequio abhorrenti libuerit, alieno nomine drama suum civibus offerre? Traditur quidem, non solum Aristophanem utpote peregrinum, et alios comicos, sed etiam Sophoclem Aeschylumque [3]) alienis nominibus fabulas suas saepius dedisse; cui bono vero fuerit Euripidi, ut Neophroni traderet retractatam fabulam quam ante aliquot annos suo nomine egisset? Ignotum drama si quis suo marte spectatoribus offerre nolebat, non mirum est. At quis drama tertio tunc praemio dignum habitum, alieno nomine iterum daret, idque levissime mutatum? Nam e tribus fragmentis, quae v. cl. v. Leeuwen alteri Euripideae fabulae editioni ascribit, istud certe, quod Medeae soliloquium continet, „simillimum" revera dicendum est versibus nostrae tragoediae 1021 sqq. [4]). At

---

1) Mnem. XVI. p. 205.

2) Poetam retractasse fabulam suam e Schol. Ach. 119 quoque vel ex Ennii verbis apud Cic. ad fam. VII, 6, suspicatur quispiam.

3) v. Leeuwen Mnemos. XX, p. 205).

4) Conferas velim Neophronea Euripideis sic opposita:

Neophron: *τί δράσεις, θυμέ;* — Euripides: *μὴ δῆτα θυμέ, μὴ σύ γ' ἐργάσῃς τάδε.*

Neophron: *μαλθακοὶ δὲ δὴ — γιγνόμεσθα* — Eur.: *τὸ καὶ προέσθαι μαλθακοὺς λόγους φρενός.*

comparemus Medeae verba notissima cum isto fragmento — quis credat Euripidem sic circumcidisse versus nemini non laudandos? Quis tam immemorem suae artis poetam crediderit? Quam ob rem hoc quidem loco vir clarissimus mihi non plane persuasit.

Secundum fragmentum hoc est:

> *καὶ γάρ τιν᾽ αὐτὸς ἤλυθον λύσιν μαθεῖν*
> *σοῦ· Πυθίαν γὰρ ὄσσαν, ἥν ἔχρησέ μοι*
> *Φοίβου πρόμαντις, συμβαλεῖν ἀμηχανῶ.*
> *σοὶ δ᾽ εἰς λόγους μολὼν ἂν ἤλπιζον μαθεῖν.*

Qui versus loco Euripideo eodem spectanti non uno nomine praestant. Hic enim Aegeus sine ulla causa Corinthum venit; illic contra haud fortuito adest. Quae ergo in hac scena vituperabantur ab Aristotele [1]), quaeque iam Euripidis aequalibus displicuisse suspicari possumus, ab ipso tragico corrigi facile potuerant in fabula retractata.

Tertio fragmento continetur Medeae de Iasonis morte vaticinatio, haud minus absurda [2]) quam quae in fine fabulae Euripideae legitur. Numvero unquam Euripides ad tollendam obscuritatem loci tam insulsam mutationem temptarit, dubium admodum mihi videtur.

Sed redeundum est ad antiquissima de Neophrone testi-

Neophron: *παῖδες, ἐκτὸς ὀμμάτων/ ἀπέλθετ(ε)* — Eur.: *χωρεῖτε, χωρεῖτ᾽, οὐ γάρ εἰμι προσβλέπειν/ οἷα τ᾽ἔθ᾽ ὑμᾶς.*

1) Ars Poet. C. 25.

2) Neophron (ita Schol. Eur. Med. 1386) *ξενικώτερον ἀγχόνῃ φησὶ τελευτῆσαι* Iasona; mutasse ergo eum narrationem vulgarem significat Scholiasta; Galli vero (Medea Corinzia, p. 16) ex hoc scholio intelligit, Neophronis fragmentum loco Euripideo multo deterius esse. Non credo. Unde vero G. habeat lectionem *ξενικώτατα*, quae in Schwartzii editione ne memoratur quidem, prorsus me latet.

monia. Aristoteles in Arte poetica nusquam eum nominat. Quomodo autem fieri potuit, ut Aristoteles, qui poetam vituperaverit ob Aegei personam sine ratione inductam [1]), nihil dixerit de Neophrone, qui ipso Aegeo introducendo multorum laudem sit assecutus? Eam quaestionem solvere facile possumus, si abiudicamus Aristoteli Hypomnemata [2]) vel si Dicaearcho omnem fidem denegamus [3]). Quod si quis nimis audacter factum censeat, concedat oportet Suidae de Neophrone hariolationes, primum istum paedagogos introduxisse in fabulas suas, numerum autem fabularum fuisse CXX, vixisse denique eum tempore Alexandri Magni ea omnia absurdiora esse concedat et obscuriora quam ut inde certi aliquid noscere possimus. Alia vero est observanda res, et si poterimus, refutanda.

Weilius enim observat [4]), ad Medeam Euripideam agendam duos sufficere actores; sed iam anno 468 tertium actorem adhiberi coeptum esse, quo plerumque utatur Euripides. Illum igitur in Medea fabula secutum esse antiquum morem, quem cum aliis rebus Neophroni desumpserit. Negandum sane non est, fabulam nostram a duobus actoribus dari posse. At quis crediderit tali modo unquam actum fuisse drama? Quis crediderit personarum mutationes tam rapidas revera apud Graecos fuisse in usu? Ut unum afferam exemplum: quomodo paedagogus postquam prolocutus versum 95 abiit, continuo Medeae vocem effinxisse putandus est quasi ex ima domo proclamantis illa *δύστανος ἐγὼ κτέ*? Eodem enim tempore properabat ut e paedagogo fieret

1) l. l.
2) Ita novissime Schmid in Christ, Gr. Lit.[6] tom. I, p. 339.
3) v. Wilamowitz Hermes XV, p. 487.
4) Notice sur la Médée de Neophron, in fabulae Euripideae editione.

Medea, mox [1]) proditura. Si tamen quis opinatur Medeae exclamationes istas alium quendam prolocutum esse, qui non spectatoribus se ostenderet, obiciendum est, sic dividi inter duas personas Medeae partes, id quod unquam spectatoribus placuisse vix credibile est.

Sed lex ista trium actorum quid valeat v. d. Kelley Rees iam ante hos tres annos indicavit [2]). E cuius opusculo haec referre sufficiat. Aristoteles observavit nunquam in scena plures adesse personas, quae quidem loquantur, quam tres. De numero vero actorum, qui prodibant in singulis tragoediis, nihil tradidit, neque ulla exstat causa, cur saeculo quinto tantulum fuisse eum numerum censeamus. Tres autem simul personae saepius occurrunt apud Sophoclem; contra Euripides duas tantum colloquentes producere mavult. Argumentis autem, quae vir doctus ad probandam opinionem suam attulit, unum exemplum addere libet ex Iphigenia Taurica. Ibi enim, versibus 492 sqq. adsunt Iphigenia, Orestes, Pylades; roganti illi, uter sit Pylades, non hic respondet, sed Orestes.

Apparet, nihil valere Weilii de duobus actoribus opinionem, neque antiquiorem usum Euripidem in Medea sua secutum esse. Hac igitur ratione Neophronem prius vixisse quam Euripidem probare non possumus.

Una adhuc memoranda est res, quae poetam obscurum in clariore luce ponere fortasse possit. Laudatur semper Neophron prae Euripide quod in fragmentis illis, quae iam memoravi, Aegeus consulto adit Medeam. Congruunt cum hac versione primi versus e papyro quodam Londiniensi [3]), qui narrant, Aegeum iam tertium diem Corinthi degere. Statim Crönert

---

1) Vs. 214.

2) The so called rule of three actors in the Class. Gr. Drama (Diss. Chicago 1908).

3) Quos publicavit v. d. W. Crönert in Archiv. f. Papyrusforsch. 1906, p. 1 sqq.

vix dubitans agnoscere sibi visus est Medeae Neophroneae reliquias. Continet certe papyrus ille Medeae Corinthiae casus; Corinthias feminas alloquitur nescio quis, non deest Iason; Creon autem, quamquam eum non praesentem videmus, tamen exilio punire videtur Medeam. Brevi, fere dixerim, fabulam cuius lacera tenemus fragmenta ignotam pendere a tragoedia Euripidea. Sed frustra certum firmumque indicium quaerimus, quo freti Neophroni tribuamus fragmenta Londiniensia. Ergo sequi cogimur virum doctum Fries, qui censura facta de Crönerti conclusione [1]), rogat: quidni eodem iure haec fragmenta imputemus alii cuidam ex poetis, qui Medeam scripsisse dicuntur?

Plures enim sunt, de quibus tamen vix quicquam certius novimus quam de Neophrone. **Melanthius** [2]) cantasse dicitur e Medea [3]) *ὀλόμαν ὀλόμαν ἀποχηρωθεὶς τᾶς ἐν τεύτλοισι λοχευομένας*. Non e Melanthii tragoedia haec esse, sed e **Morsimi** fratris fabula, in qua Melanthius Iasonis partes egerit, suspicatus est Fritsche; Herwerdenus [4]) vero Medeae potius partes a Melanthio fuisse actas putabat, et sic versum explebat: *ἀποχηρωθεῖσ' ἅ σφ' ἐν καμάτοισι λοχευσαμένα.* Cuiusmodi vero fuerit Morsimi illius tragoedia, num in ea *τεκνοκτόνος* Medea prodierit, ignoramus.

Ex iis, qui praeter hos mythum tractarunt, **Dicaeogenem** satis est nominasse. Nam quod Scholiasta ad Eur. Med. 167 tradit, in eius Medea Apsyrtum nomine Metapontii fuisse vocatum, id exilius est quam quod cum Euripide aut cum Sophocle

---

1) N. Jahrb. f. d. klass. Altert. 1907, p. 171.

2) Ar. Pac. vs. 1009 sqq.

3) Inutile est, cum v⁰. d⁰. Galli (op. cit. p. 22) conferre haec *ὀλόμαν ὀλόμαν* cum Euripidis versu 97 *πῶς ἂν ὀλοίμαν;* Talia exclamat quicunque gravissimis aerumnis vexatur.

4) Ipsum vide in Pacis edit. ad l. l.

comparari possit, quod nimis confidenter fecerunt Castellani et Galli[1]. Eadem materie usus **Chaeremon**, qui inter *ἀναγνωστικοὺς ποιητὰς* numeratur, quique ab Aristotele[2]) appellatur *ἀκριβὴς ὥσπερ λογογράφος* Minyas scripsit, e qua tragoedia unum tantum fragmentum superest. Minyae, ut mox videbimus, saepius vocabantur Argonautae, unde sumere possumus, argumentum fuisse Graecorum ad vellus petendum expeditionem. Sed et hic plura desideramus.

Quod ad nostram quaestionem attinet, mera nomina sunt **Antiphon** et **Biotus**, qui idem argumentum tractasse dicuntur.

Aliquanto plura dici possunt de **Carcino**, qui pariter atque Chaeremon ille, anagnosticis poetis annumerandus est. Traditur is ita mutasse fabulam, ut Medea non *τεκνοκτόνος* prodiret[3]. Praeterea, quae est anagnosticorum operum indoles, longa oratione habita contra id crimen defendit se Colchis[4]. Fieri tamen potuit in oratoriis tragoediis, ut dolose quis purgare se conaretur crimine, quo revera dignus esset. Ergo non sic temere credendum, eam, quia dicit se insontem, esse insontem. E paucis autem de hac tragoedia indiciis de fabulae oeconomia vix quicquam novimus. Foras emisisse magam pueros tradit Aristoteles[5] sed tamdiu morantur ut nonnulli, ne clam sint necati, metuentes, infanticidii eam accusent. Respondet se, si quem necare voluisset, Iasona necaturam fuisse, non pueros. Quid vero in cetera fabula factum sit, in densis latet tenebris.

---

1) Hunc vide in libro citato p. 22.
2) Rhet. 1413, b. 12.
3) Ita Galli op. c., p. 24.
4) Num ex hoc fonte hauserit Diod. Sic. (IV 55, 5) qui refert *τίνες δ' ἱστοροῦσιν ὑφ' Ἱππότου τοῦ Κρέοντος ἐξαιτουμένην τυχεῖν κρίσεως καὶ τῶν ἐγκλημάτων ἀπολυθῆναι*, rogare malo quam diiudicare.
5) cf. Nauck, T. G. F., p. 798.

Denique, inter **Diogenis Cynici** opera septem enumerantur tragoediae quarum qui mentionem facit Diogenes Laertius VI, 80 etiam Medeam nominat. Sed in eodem libro (§ 73) dubitat Laertius sinte potius Philisco ascribendae omnes eius tragoediae. Omnino Euripidis imitationem ne expectaveris apud Carcinum vel Diogenem, quorum opera, utpote *ἀναγνωστικά* ab antiquo dramate prorsus aliena essent.

Inter Romanos **Pompeius Macer** Graeca tragoedia idem tractavit argumentum; supersunt pulcherrimi aliquot versus qui plus minusve nos admonent Euripideorum versuum [1]).

Vix igitur quicquam disci potest ex istis tragicorum reliquiis. Neque plura praebet **comoedia Graeca**, quae omnino deridendo detorquet magis seriam artem quam imitatur. Cuius rei specimen ostendunt Strattidis reliquiae, quas servavit Athenaeus [2]); libere illic parodia lascivire videtur. At hoc saltem e comoedia docemur, unum alterumque versum ex Euripidis Medea per multos annos vixisse in omnium ore [3]). Ipse Euripides personatus certamen contra Aeschylum orditur citatis verbis: *εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος* [4]). Parodia quoque videtur Nubium vs. 41, ubi Strepsiades *τραγικῶς πάνυ* exclamat: *εἴθ' ὤφελ' ἡ προμνήστρι' ἀπολέσθαι κακῶς ἥτις με γῆμαι ἐπῆρε τὴν σὴν μητέρα.*

Alexandriae primus **Lycophron** mythum Argonautarum tractavit. Quae vero in hoc poemate de Medea audimus,

1) Stob. flor. LXXVIII, 7. Imprimis Euripide haud indigna sunt haecce:

βούλεσθ' ἀθύρειν; παίζετ', ὦ νέαι φρένες·
ὡς ἔστιν ἡμῖν τοῦτ' ἔαρ παντὸς βίου.
ἥβη δὲ λῦπαι φροντίδες θ' ἡβῶσ' ὁμοῦ.

2) Unum affero locum XI 467 qui prae ceteris memorandus videtur.

3) Thesmoph. 1130 = Eur. Med. 299.

4) In Ranis, versu 1382.

qualis quidem ex Euripide nobis innotuit, ea haud abundant. Dicitur Iason [1]) *Κρηθέως ἄμναμος* navem appulisse; vocatur idem [2]) *ταγὸς μονοκρήπις,* quod tamen epitheton non ex Euripide habet Lycophron sed e Pindaro [3]). Praeterea velleris custos memoratur draco, quem herbis sopivisse dicitur Iason [4]). Euripides contra narrat monstrum a Medea occisum, sed num ad verbum haec accipi debeant valde dubius sum. Conferamus totum, quo haec continentur, locum. Infidum maritum omnibus modis accusare studet Medea, propria vero merita quam maxime in coelum tollere; unde loquendi genere iam utitur nimis oratorio [5]). Ipsa, inquit, te servavi, cum tauri ignivomi tibi essent domandi; ego draconem necavi, *αὐτὴ δὲ* prodidi patrem patriamque; praeterea „Peliam occidi" [6]). Non occidit Medea Peliam, ut altera versus pars indicat [7]). Sed desperata irataque nihil non fecisse sibi videtur illius causa. Unde hoc: „Peliam occidi"; effecit certe maga Peliae mortem. Sed effecit eadem, si quid video, draconis mortem, quamquam ab ipsa necatus nusquam traditur. Fieri ergo potuit, ut Euripides cogitaret de dracone a barbara femina sopito deinde ab Iasone necato; Iasona vero sopivisse draconem ut apud Lycophronem legimus, satis insolitum est, neque, quantum scio, aliunde notum. Apsyrti caedem noverat Lycophron item puerorum mortem infandam [8]); sed, num ab Euripide hanc rem mu-

---

1) vs. 872.
2) vs. 1310.
3) Pind. Pyth. IV, 75. Eandem versionem servavit Apoll. Rh. I, 10 sq.
4) Vs. 1313.
5) Eur Med. 476 sqq.
6) Ibidem vs. 505.
7) Cf. vs. 9.
8) Vs. 1318 c. Schol.

tuatus sit poeta, frustra rogamus. Quis enim poetae Alexandrini nimis docti tenebris tantam afferet lucem?

Unam rem habet Lycophron quam maxime ab Euripide alienam: Iasonem in aeno coctum [1]). Addit Scholiasta φασὶν ὅτι Ἰάσων ὑπὸ Μηδείας ἐν λέβητι ἑψηθεὶς πάλιν νέος γέγονεν. Fusius infra hac de re disputaturi, hic iam adnotamus, in Argumento Medeae Euripideae superesse Pherecydis et Simonidis testimonia, quae idem referant. De rebus Corinthiis denique nihil nos docet Lycophron.

Apollonius Rhodius, quamquam Argonautarum expeditionem ample describit, tamen cum Euripide haud frequenter convenit. Quo enim momento Graeci in patriam revertuntur, finem operis facit poeta; Peliae caedem [2]) non memorat, nedum Iasonis Medeaeque fugam et quae subinde sequuntur. Ex ipso opere igitur Colchicae tantum res utiles nobis esse possunt. Atque hic observandum est, epicum antiquiores quidem poetas saepius in usum suum vertisse, sed Euripidem raro aut nunquam ei exemplo fuisse. Ignoramus, quo animo secundum Euripidem Aeetes exceperit Argonautas. Vulgo traditur [3]) Iasona ab Aeeta petiisse, ut vellus aureum sibi daret. Daturum se respondet rex, si prius Iason tauros domuerit. In Apollonii autem carmine [4]) Aeetes, postquam candide itineris consilium aperuit Argus, iratus vellus denegat Graecis. Deinde Iason certiorem facit regem, se non animi causa illuc venisse, sed a Pelia coactum; tunc demum rex vellus se daturum promittit, si prius tauri erunt domiti virique dracontigenae

1) Vs. 1315.

2) Quae de Pelia cantat ille non omnia bene cohaerent. E. g. quae I 1304 memorat ἄθλα Πελίαο δεδουπότος aperte pugnant cum regis mandato doloso ex eiusdem libri initio (cf. I 902, 981). Scholiastam ad hunc locum ista incongruentia fugisse videtur.

3) Ita Apollodorus I; 9; 23, 2.

4) III 332 sqq.

occisi. In personis quoque aliqua notanda est discrepantia. Apsyrtus [1]) loras tenere dicitur, ergo non infans esse fingitur, qualis apud Euripidem occurrit. Facere enim non possumus. quin perlecto versu 167 cogitemus de puero paucorum annorum [2]). Apud Alexandrinum poetam contra Apsyrtus non dissecatur a Medea, sed, dum oculos avertit illa, Iason eum ferit, deinde mortuum terra abscondit.

Chalciope soror, quae in Apollonii opere [3]) saepius occurrit, nulla mentione digna habetur in Euripidis tragoedia. Idem valet de matre [4]), cui in lacrimas effusa gemitu vocem prohibente valedicit Medea. Concedendum quidem est, in Corinthia Medea Colchicas res non nisi in transitu tangi; sed, cum saepius patris memoriam colat illa, matrem silentio praeteriri miramur. Quidquid id est, Apollonio, nisi de suo hunc locum inseruit, alius fons praesto fuit atque Euripides. Plura enim, ut scimus, pluribus desumpsit ille, inter quos Naupacticorum poeta et Pherecydes; atque, si fides Scholiis, hic illic verbatim reddidit Eumelum, Corinthium poetam [5]).

Ceterum in praesens mittamus Apollonium, mittamus litteras Graecas, ut Romanorum opera, quae quidem idem tractant argumentum, inspiciamus. Atque hic qui primus Medeam fabulam exhibet Ennius, Euripidem sequitur usque ad imitationem. Cui non delassavit aures illud [6])

„Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa accidisset abiegna ad terram trabes",

1) IV 224.
2) Talis iam ab antiquioribus scriptoribus vulgo repraesentatur, vid. Pherecydes fr. 73 = Schol. Ap. Rh. IV 223.
3) Passim in libro tertio.
4) IV 28 sqq.
5) Vid. Schol. III 1372 sqq.
6) Vid. Ribbeck, Scaenicae Romanorum Poesis Fragmenta [3], Vol. I, p. 49.

toties a Cicerone [1]) repetitum? In prologo Euripideo praeter vss. 1—2 quos omisit Ennius, fere eadem leguntur; sed mutavit Romanus versuum ordinem haud feliciter. Iure vituperavit Quintilianus (Inst. Or. V 10, 83 sq.) primum agi de arbore, deinde de nave; ipse ille ordo rerum anxie servatus in carmine displicet. Consentaneum est, primum cogitare nutricem de sacra illa nave, tunc vero altius repetere omnium malorum causam.

Alia vero fragmenta accuratius reddunt Euripidem; e. g. quae dicit nutrix

„Cupido cepit miseram nunc me proloqui
Caelo atque terrae Medeai miserias"

ad verbum similia sunt versibus Euripideis [2])

„ὥσθ' ἵμερός μοι ἐπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ
λέξαι μολούσῃ δεῦρο Μηδείας τύχας."

Idem valet de fragmento sexto

„nam ter sub armis malim vitam cernere
Quam semel modo parere" [3]),

et de pluribus locis, quos describere supersedeo. Semel exemplum suum non bene intellexisse videtur Ennius cum verba Euripidea (vs. 216) τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο verteret: „patria procul" [4]). Mirum est, poetam, qui versibus plus quam triginta Graecum anxie secutus sit, semel vel iterum subito ab eo discrepare. Praesertim a poeta Graeco alienum est frgm. IX [5]):

1) Indulsit Cicero istis versibus, quos septies citavit, e. g. pro Caelio 8, 18. Ennii verbis in brevius contractis usus est Phaedrus IV 7, 6 sqq. (L. Müller).

2) 57 sq.

3) Cf. Eur. Med. 250.

4) Ciceronem vero (ad fam VII 6) non offendisse talem versionem!

5) Hic ut alibi Ribbeckii fragmenta tragicorum cito.

„Ille traversa mente mi hodie tradidit repagula
Quibus ego iram omnem recludam atque illi perniciem dabo,
Mihi maerores, illi luctum, exitium illi, exilium mihi."

Respiciunt haec sine dubio versus Euripideos 371—375 et 398 sqq; sed illud „hodie" risum moveat nisi significet „in unum diem hodiernum". Quod Euripides scripserat. [1]) Omnino versus citati satis obscuri sunt. Alludit nimirum Medea ad proximam vindictam; sed quemnam ad perniciem sit ductura, non liquet. Num ipsius pueros?, Affirmat Ribbeck [2]) propter verba „mihi maerores." Ceterum, ad quem vel quos spectent ista „illi perniciem illi luctum, exitium illi" neque Ribbeck explicat. Si, ut vult Galli [3]), de duobus agi voluisset Ennius, cur tandem ter posuit idem pronomen? „Illi perniciem", haec cum iis, quae praecedunt tam arte cohaerent, ut dubitare non possimus, quin de Creonte sit sermo. „Illi luctum", ea ad Creusae mortem referri vix possunt, quippe quae moritura sit; potius cogites de Iasone. „Exitium illi" aptius coniungitur cum Creusa. Quanta agendi varietate opus fuerit, ut clare haec intellegerent spectatores! Quapropter, quamvis accurate re deliberata, statuere non ausim, quomodo hic locus interpretandus sit, neque scio an melius Iasoni imputemus omnia ista pronomina.

Quoniam autem unicus hic locus non ab Euripide est desumptus, cum omnia cetera vix ab eo discrepent, fuerunt, qui alteram Medeae Euripideae versionem Ennio notam fuisse putarent. Sed de altera illa Medea nimis exilia indicia nobis praesto sunt. Scholiasta ad Ach. 119 verba *ὦ θερμόβουλον σπλάγχνον* alteri Medeae tribuit. Sed iure O. Hense [4])

1) Vs. 373. *τήνδ' ἐφῆκεν ἡμέραν| μεῖναί με.*
2) Die röm. Trag. im Z. d. Rep., p. 154.
3) Op. cit., p. 28.
4) Vid. Wecklein Eur. Medea f. d. Schulg. erkl. 1909⁴, p. 26 adn.

iis verbis locum suum indicavit in priore fabulae forma post versum 1274; quae non „prior" amplius dicenda est, quoniam unica est. Nam quae dittographiae notantur in Euripidis tragoedia, eas dudum amovit v. Wilamowitz [1]), actorum in dicendis versibus libidini tribuendas esse ratus.

Inter incerta incertorum fragmenta tragica, quae edidit Ribbeck, fr. XCIV haud dubie e Medea aliqua desumptum est:

„Non commemoro quod draconis saevi sopivi impetum,
Non quod domui vim taurorum et segetis armatae manus".

Quos versus Accio tribuere mavult Ribbeck [2]) quam Ennio, quod nimis tranquillam maga se ostendat pro animi motu, quem haec scena poscat. Sed nonne magna inest vis in iterato illo: „non quod non quod"? Trochaicus praeterea versus haud minus quam senarius agitatum esse aliquem indicare potest, ut probat Ennii fr. VIII: „Nequaquam istuc istac ibit, magna inest certatio". Ceterum ignoramus quomodo transformaverit poeta Romanus altercationem inter Iasonem et Medeam, e qua praeter versus modo laudatos tres tantum versus supersunt. Ad quos ubi annotat Ribbeck [3]): „so könnte nicht reden, wer kurz zuvor schon in Trimetern von sich gerühmt hatte" *ἔσωσά σ'. ὡς ἴσασιν'' κτέ.* rogare possumus: quidni aliis verbis aliove metro usus sit Ennius? Metro certe hic ab Euripide saepius recessit, quod testantur versus trochaici in ff. V, VIII, IX, XIV—XVI necnon in fr. XI, quod responsum continet Iasonis ad Medeae verba modo laudata.

Sequitur **Pacuvius** e cuius „Medo" notanda sunt verba fragmenti septimi „Exul incerta vagat". Accio (fr. X „Exul inter

---

1) Hermes XV, p. 488 sqq.
2) Die röm. Trag. i. Z. d. Rep., p. 533 et 155.
3) Op. c., p. 155.

hostis, exspes, expers, desertus vagus") ea exemplo fuisse diceremus, nisi talibus comparandis nodum in scirpo quaerere nobis videremur. Interfectum Hippotem refert fr. XVIII: „Qua super red interfectum (tu) esse dixisti Hippotem?" Apud Hyginum [1]) legimus Medum, ubi captus ad Persem regem venerit, se Hippotem esse mentiri; Medeam vero personatum illum Hippotem paene necasse. Fieri potuit ut Pacuvius, qui mythologiae et mythographiae studiosissimus erat poeta daret filium occidi a matre inscia. Haec quamquam sunt incerta, clare apparet Pacuvium hic non ab Euripide pendere.

De Accio vix plura dici possunt. Audimus [2]) pastorem loquentem „mole" quadam in mari conspecta vehementer perterritum [3]). Monstrum marinum stupet pariter atque pastores in Apollonii libro IV (vs. 316 sqq.), qui *πώεα λεῖπον .... οὐ γάρ πω ἀλίας γε πάρος πόθι νῆας ἴδοντο.* Similiter apud Accium (fr. IV) „vagant, pavore pecuda in tumulis deserunt." Si revera ex una eademque fabula sunt fragmenta septendecim, quae huc contulit Ribbeck, praecipuum argumentum fuisse videtur Argonautarum e Colchis fuga, Aeetae insectatio, mors denique Apsyrti. Locus fingitur aliquantum remotus a Colchorum regione; pastor enim ille, si Aeetae serviret, iam vidisset navem aliquam appulsam, neque esset cur tantopere eam miraretur. Ceterum, quonam vinculo inter se cohaereant singulae partes fabulae, satis obscurum est. Labores, quos perfecerat Iason, narrabantur (num ab ipso?) iis versibus, e quibus superest [4]) „Perite in stabulo frenos immittens feris." Medeae praeter Apsyrtum alterum fuisse fratrem in nostra fabula,

---

1) Fab. 27.
2) Fr. I.
3) Cf. Cic. de N. D. II 35, 89.
4) Fr. XI.

opinio est Ribbeckii [1]), qui a Sophocle istum desumpsisse Accium putat. Num iure? Equidem neque e Colchidum fragmentis neque e „Scytharum" reliquiis [2]) de altero isto fratre certior fieri potui. Quod vero attinet ad Accii fr. XVI quo Aeetes queritur: „Pernici orbificor liberorum leto et tabificabili", pluralis numerus („liberi") etiam adhibetur de prole simplici [3]). Neque fragmentum incertum XCIII flagitat, ut alter fuerit frater: Apsyrti mortem referre quivis nuntius potest.

Unicum, qui e **Gracchi** Peliasin [4]) ad nos pervenit versum notare satis est.

Per aliquot hominum aetates Medea silentio tantum non praeteritur. Varronis enim Atacini Argonautica, ad Apolloniani operis exemplum composita, perierunt. Vergilium autem Euripidis fabulam legisse non solum, sed etiam memoria tenuisse apparet ex Aen. VI 469 „Illa solo fixos oculos aversa tenebat", quem versum Valckenaer (ad Hippol. 197) comparavit cum Euripidis versu 27: *οὔτ' ὄμμ' ἐπαίρουσ' οὔτ' ἀπαλλάσσουσα γῆς / πρόσωπον.*

In Ovidii demum opere denuo emergit Colchis. Et, quoniam de dramate praecipue egimus hactenus, primum inspiciamus dramatis Ovidiani reliquias. Cuius unum fragmentum hoc est: „Servare potui, perdere an possim rogas?" Num praesenti Iasoni Medea hic minetur an alium (chorum vel nutricem puta) alloquatur, decernere nequeo, quamquam hoc veri similius censeo. Suspicionem enim his verbis movisset marito suo, qui celandus erat de consiliis suis. Agnosco quidem de tragoediae Ovidianae oeconomia nihil pro certo dici posse, sed dolose Medeam circumiisse perfidum maritum,

---

1) Op. c., p. 529 et 534.
2) Fr. 491 (D.).
3) Vid. Plaut. Aul. IV: 10, 5.
4) Vid. Ribbeck. op. c., p. 266: Sonat impulsu regia cardo.

vel sic statuam. Perdendi et servandi verba recurrunt in Ep. Heroid. duodecima, versu 75 sq.

„Perdere posse sat est, si quem iuvet ipsa potestus;
Sed tibi servatus gloria maior ero."

Et diligenter Galli [1]) per totam hanc epistolam indicavit [2]) Medeam identidem obicere Iasoni labores et pericula, quae eius causa subierit; sed, quamquam fere idem spirant loci laudati atque Euripidis vss. 476 sqq., imitationis vestigia indicari nequeunt.

Alterum dramatis fragmentum „Feror huc illuc [3]) ut plena deo" Galli confert cum Heroid. XII vss. 209 „Quo feret ira, sequar", et 211 „Viderit ista deus, qui nunc mea pectora versat". Certe in utroque loco ferendi verbum occurrit, item vox deus. At minime inter se congruunt animi motus. „Quo feret ira, sequar," sic loquitur, qui haud dubitans vindictam quaerit. Locutio „feror huc illuc" indicat mentem agitatam, incertam. Vocularum ista venatione et veneratione quantum aberrent homines, infra ostendam. Neque ideo viri docti conata prorsus reicio; sed utinam ne nimis.

1) Op. cit., p. 34.

2) Vid. e. g. versus 104—108.

3) Wissowa mutans „ut" in „ceu" vix mutat versum. Ribbeck contra (Rh. Mus. XXX 627), servata lectione tradita *ve* dat „vae, plena deo", optime. Sic enim loquitur, qui, quid faciendum sibi sit, ignoret; qui invitus exagitetur. Affert R. Senecae Suas. III, ut probet, locutionem „plena deo" a Vergilio inventam mox in proverbium abiisse, in deliciis autem fuisse Arellio Fusco. Ovidium verba a magistro suo toties repetita in suum traxisse drama libenter credimus. Minus tamen facio cum R. ubi fragmentum Ovidianum Glaucae potius tribuendum censet quam Medeae. Talia cantasset Glauce, quae modo venenatam coronam in capite posuerit?! Quae, acerrimo dolore capta, subito *ἀντίμολπον ἧκεν ὀλολυγῆς μέγαν | κωκυτόν*, ut legitur apud Euripidem (vs. 1176)? Ego non credo. Contra, si ista recitantur a Medea, quae exilio punita non habet quo se vertat (Eur. Med., 502 Enn. fr. X), optime intellegi possunt.

Quidquid id est, intercedit certe ratio quaedam inter drama Ovidianum et Epistolam duodecimum. Utrum opus prius fuerit scriptum, non constat, quamquam unus et alter vir doctus haud dubitat ea de re. Ribbeck [1]) enumerat, quae elementa epistolae communia sint cum tragoedia, quam recentiorem esse sibi persuasit [2]). Contra Leo in Senecae editione sua [3]): „iam vero scimus Ovidium non multo ante quam Heroidas scripsit tragoediam suam composuisse." Testes affert hic Ovidianos versus ex Amorum libro secundo, vs 18 sq.; in quo carmine poeta narrat se remissis amoribus seriora aggressum esse: „Sceptra tamen sumpsi, curaque tragoedia nostra / Crevit"; mox vero ipsum Amorem se ad artes tenerae musae revocasse, et ad Heroidum epistulas, quarum complures indicat. Ergone vatem cothurnatum tam cito victum a Cupidine, iam scripsisse credamus et ad finem perduxisse drama, quod per decennia multa multorum laude creverit [4])? Immo vero, inchoatam tragoediam sive Medeam seu aliam nescioquam eum reliquisse inde patet. Quocum optime convenit primum carmen ex Amorum libro primo [5]), ubi eodem modo inter se opponuntur Amores et Tragoedia; hic quoque tragicum opus facere in posterum differt poeta. Cedere oranti dicitur Tragoedia, itaque sic se adhortatur poeta „teneri properentur amores, Dum vacat. a tergo grandius urguet opus." Ultima non de Metamorphosesin dicta esse sed de tragoedia, totus carminis decursus ostendit.

---

1) Gesch. d. röm. Dichtung II, p. 247.
2) „Mit dem späteren Drama."
3) Vol II, p. 169, item Schanz. R. Lit. (1901), II p. 230, 309.
4) Vid. Quintil. X: 1, 98, Tac. Dial. C. 12.
5) Imprimis vide vss. 7, 11, 15 sq., 29, 67.

Est alius locus, quo Ovidius de tragoedia sua agit, nempe Trist. l. II vss. 553 sq:

„Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis.
Quaeque gravis debet verba cothurnus habet."

Si quis forte ex ordine, quo hic memorantur varia poetae opera, indicare posse sibi videtur quo tempore tragoedia illa sit scripta: temporis ordine medii sunt versus laudati inter Fastos, qui ad finem non sunt perducti [1]) et Metamorphoses, quibus „manus ultima defuit" ut ipsius poetae verbis utar. Hinc eodem iure ultimis Ovidii operibus tribuere possumus Medeam, quo Leo, allatis versibus Am. II : 18, 21 sqq., tribuit eam iuveni poetae. Neutrum ego praefero; cavendum autem est, ne iusto plura ex ipsis poetis probare conemur.

Sed ipsa epistula pro tragoedia est. Iam initium quasi in medio diverbio versatur: „At tibi vacavi." Acerbe deinde obicit Medea Iasoni fidem ruptam. (vide anaphoram „Tunc-tunc"). Sequuntur sententiae interrogativae tres: „cur? — cur? — cur?" Percutitur ipse audientis animus. Voluptate exprobrandi fruitur Medea ut ipsa dicit [2]); attamen, fusius disserens de suis casibus, iram paulatim remittit, donec vs. 103 sua erga Iasonem beneficia iactans exclamat:

„Dotis opes ubi erant? Ubi tunc tibi regia coniunx?"
Qui versus vehementissimum animi motum indicat. Fratris a se necati umbram alloquens cruciatur conscientia: „Sic ego dilaceranda fui", quod dictura „sed tecum" acerbissime inserit. Videmus eam compressa manu invehentem in Iasona; scenam aspicere credimus, non legere epistulam.

Sive ergo prior fuit tragoedia sive epistula, ipsa indole congruunt inter se. Quomodo autem Euripide usus est poeta?

1) Ribbeck Gesch. d. r. D. II, 337.
2) Vs. 21 sq.

Galli [1]), nimis securus ubique monstrat „l'influsso euripideo sulla Medea Ovidiana."

De qua re ut melius iudicari possit, primum videndum est, quomodo magae indolem depinxerit uterque; mox apparebit apud Ovidium Medeae multo simplicius esse ingenium quam in tragoedia Euripidea. Apud Nasonem enim irata est usque ad insaniam; uno tantum momento [2]) se demittit ad preces, sed exceptis illis versibus eadem manet cum verbis tum animo. Apud Graecum contra initio quidem aperte ostendit iratum suum animum [3]); postquam vero Aegeus abiit, prorsus ab ira se deflexam fingit, ita ut insidiarum Iason ignarus maneat usque ad finem fabulae, ubi scelus horrendum comperit. Haud ergo assentior viro docto [4]) dicenti: „in entrambi i poeti Medea passa dalla disperazione alla rassegnatezza, dalle minacce alla condiscendenza". — Nam apud Ovidium exceptis versibus laudatis [5]), minime cedit, animum haud demittit.

Multa mutuatum esse poetam Latinum ab Euripide concedo v.º cl.º Birt [6]), qui vel comparatis verbis „ferrum-flammas-veneni sucum" cum Euripideis [7]) „πυρί φάσγανον φαρμάκοις" omnem dubitationem sustulit. Quodsi Epistula Ovidiana tot Euripidis imitationes ostendit, causa nulla exstat, cur Latinam tragoediam temporis ordine anteponamus epistulae.

At quid movere potuit v.m d.m Galli [7]), ut scriberet: „ai tre sventurati in entrambi i poeti viene ingiunto l'esilio"? Ortam esse hanc suspicionem puto e versu 134: „Ausus

1) Op. c., p. 33.
2) Vs. 183 sqq.
3) Vs. 465 sqq.
4) Op. c., p. 35.
5) Vs. 376 sqq.
6) Rh. Mus. XXXII, 400 sqq.
7) Op. c., p. 35.

es, Aesonia, dicere, cede domo", qui versus tamen de exilio non loquitur. „Cede domo" idem valet quod „vade foras, exi", qua formula maritus repudiat uxorem [1]). Praeterea, in exilium mittere eam non poterat Iason, quippe qui ipse in hospitio esset [2]). Et quidem inde ab Euripide tam notum est exilium illud Medeae a Creonte impositum, ut, num forte alia exstare possit versio, non quaeramus. Sed in Ovidii epistola exilii nulla fit mentio; nae, ipse rex Creon non nisi in transitu memoratur [3]). Rem ita explicare conatus est Galli [4]), quasi iam illa se accomodarit ad Creontis iussum; at nusquam hoc legitur. Deinde de liberorum caede apud nostrum nihil legimus [5]); vindictae consilia certe fovet maga, non tamen de liberorum vita, sed de Creusae Creontisque veremur. Duobus igitur nominibus, iisque insignibus, exilio a Creonte iusso et infanticidio, haud concordat Ovidius cum Euripide; etiam de Aegeo tacet epistola. At nonnulla pendent a tragoedia Graeca, ut versus 7 sqq:

„Hei mihi! cur umquam iuvenilibus acta lacertis
Phrixeam petiit Pelias arbor ovem? [6])
Cur umquam Colchi Magnetida vidimus Argo?"

Praeterea agnoscimus Euripidem [7]) in epistulae vss. 21 et 22;

---

1) Hanc explicationem certissimam reperio in Palmeri epistolarum editione.

2) Diod. S. IV 53, 3 participem eum dicit regni Corinthii.

3) Vs. 54 et vs. 205.

4) Op cit., p. 32.

5) Nisi ultima verba „Nescio quid certe mens mea maius agit" huc tendere suspiceris.

6) Ab hoc versu incipere totam epistulam, sex priores autem vss. abundare, putat v. cl. Damsté (Mnemos. XXXIII, p. 37); dirimere quaestionem non potest, neque ego possum. Sed utique facio cum v. cl. ubi hinc alienos censet versiculos, quos ex ed. Ven. anni 1474 epistolae praemittunt Vahlen et Sedlmayer: „Exul inops contempta novo Medea marito Dicit: an a regnis tempora nulla vacant."

7) Vs. 473.

denique, ut non verba verbis sint reddita, tamen labores, quos pertulit Iason apud Colchos, cum Graeco dramate satis congruunt. Sed fieri potest, ut haec aliunde desumpta sint, eodem modo quo, ut hoc utar, Minyarum nomen pro Argonautis positum [1]) nusquam legitur apud Euripidem; idem valet de Ephyra Corinthi loco dicta [2]). Ergo ex aliis quoque fontibus hausit Ovidius e. g. ex Apollonio, id quod facile indicari potest. Versibus 62 sqq. soror dicitur incidisse in Medeam amore Iasonis cruciatam; Apollonius quoque magnas in suo carmine partes tribuerat Chalciopae. Versibus 93 sqq. depingitur Iasonis cum tauris pugna, occurrunt „terrigenae fratres", utraque res obiter tantum ab Euripide memorata, in Apollonii libro tertio fuse tractatur. Necnon epistulae versus 58 sqq. ex Apollonio profluxisse videntur [3]); atque aliae huius modi relationes facile reperiuntur inter Apollonium et Ovidium.

Restat **Metamorphoseon liber VII**, cuius prior pars continet Iasonis Medeaeque res, inde ab Argonautarum apud Colchos adventu usque ad Medeae fugam ex urbe Athenis. Cuius argumenti maior pars non ab Euripide pendet sed ab Apollonio vel ab ea Apollonii versione Latina, quam Varro Atacinus fecisse dicitur. Imprimis Apollonii liber tertius, quo Medeae erga Iasonem amor describitur, exemplo fuit Ovidio. Id quod inde apparet quod hic (versu 51 et 54) praeter patrem et fratrem sororem quoque memorat, cui quam maxime deditam illam depingit poeta Alexandrinus. Fratrem tamen infantem dicit Naso, cui Rhodius iuveniles tribuerat annos. Praeterea uterque habet Phinei casus, Harpyias a Boreadis necatas, ne repetam labores omnes, quos velleris causa perfert Iason. Reperiuntur etiam aliqua Sopho-

1) Vs. 65 cf. A. Rh. I 229.
2) Vs. 27.
3) Vss. 1284 sqq.

clea. Sophocles enim scripserat duas, de quibus quidem audimus, tragoedias, quae in eodem argumento versabantur [1]). Altera, *Ῥιζοτόμοι*, nihil suppeditat nobis; e *Colchisin* vero servata sunt pauca fragmenta, quibus Ovidius usus esse videtur. Exempli causa affero hoc: *ἦ φὴς ὑπομνὺς ἀνθυπουργῆσαι χάριν*; Haec sine dubio spectant ad Iasonis iusiurandum, quo eum sibi astrinxit Colchis. Similiter Ovidius [2]): „et dabit ante fidem", deinde „servabere munere nostro; servatus promissa dato", et quae inde sequitur fides data. Sed quam plurimum inter se congruisse Sophoclis fr. 320 *χαλκοσκελεῖς γὰρ ἐκπνέουσι πνευμάτων ἄπο · φλέγει δὲ μυκτήρ, ὡς* et Ovidii versus 104 sqq. „Ecce adamanteis vulcanum naribus efflant Aeripedes tauri..." „utque solent pleni resonare camini"

veri simillimum est, quamquam id quod dicitur tertium comparationis deest in Sophoclis versu. Ceterum, Ovidius [3]), ut ab hoc recesserit, certe non nisi e longinquo secutus est Apollonium.

Magna pars huius Metamorphoseon libri continet narrationes de Aesone magicis artibus iuvene facto, deque Peliae caede atroci; haec omnia neglegere haud poterat poeta, qui cantaret formas in nova mutatas corpora. Quibus rebus postquam per ducentos fere versus indulsit, miro modo Corinthios Medeae casus fere neglegit; quatuor versibus conficit ea, quae totam tragoediam Euripideam implent. Argumentum insignissimum praeteriisse videtur, quia iam in Medea sua materiem adhibuerat. Quamquam alibi saepe retractare argumenta sua haud veritus est.

Sequitur Medeae fuga et hospitium Aegei, qui „in uno

1) Vid. Soph. fr. 314*a* (D.).
2) Met. VII 46, 93 sq.
3) A. Rh. III, 1299 sqq. Met. VII, 106 sqq.

facto" (excipiendi eam) damnandus dicitur. Id ab Euripide alienum videtur. Aegeus enim, si bene Euripidem intellexi, plane ignarus remansit de horrendis barbarae malefactis. Cur ergo damnandus hoc nomine erat? Neque ex Ovidio id apparet neque aliunde.

Cum igitur et ob hanc causam et ob alias multas aegre desideremus drama Ovidianum, **Senecae** Medeam integram ad nos pervenisse gaudemus. Quam percurrentes fabulam notamus, ceteris rebus multis cum Euripide congruentibus, nonnullas discrepantias quarum praecipuas explicabo.

Statim initio Medea ipsa deos deasque invocat, quorum ope insidias struat infido marito. Sequitur canticum hymenaeum in honorem Iasonis et filiae regiae. Mox Creon iubet Medeam abire [1]) „priusquam Phoebus attollat diem"; pueri vero relinquendi sunt [2]). Iasonis Medeaeque colloquia in unum coartavit Seneca; neque occurrit Aegeus. Ut exilio afficeretur Medea Iason petivit a rege, qui interimere eam volebat; neque hoc Euripideum est. Nuntius de Creusae morte, qui hic centum paene versibus tristisimam eius sortem enarrat, in Senecae opere versibus duodecim rem conficit. Deest paedagogus neque quicquam pueri proloquuntur, unde suspicor infantes eos finxisse poetam. Ipsa in scena mater eos occidit, quod Romanis spectatoribus egregie placuisse est quod credamus.

Haec sufficiunt, ut agnoscamus, Senecam suo ingenio usum esse neque ubique serviliter Euripidem esse secutum. Ovidium sine dubio non neglexit tragicus Romanus, quod primus indicavit Braun [3]), post eum Leo [4]). Hic inter se com-

---

1) Vs. 298.
2) In exemplo Graeco (vs. 273) exilium imponitur cum matri, tum pueris.
3) Rh. Mus. XXXII, 68 sqq.
4) Seneca vol. I, p. 167.

paravit illud Ovidianum „feror huc illuc ut plena deo" et Senecae vss. 123 sq.: „incerta vaecors mente vaesana feror partes in omnes", et deinde [1]: „huc fert pedes et illuc, ut tigris orba natis." Quodsi tandem ab alio pendere debeant versus notati, eodem iure Apollonii verba (III 651) attuleris:

τηΰσιοι δὲ πόδες φέρον ἔνθα καὶ ἔνθα.

Sed monere mihi liceat, ne nimia concludantur e duobus vel tribus vocibus congruis. „Huc-illuc" locutio usitatissima est de eo, qui trepidat [2]; paene rogabam, quid aliud dici potuerit de Medea summo furore mota. Aequo iure cum versu 863 „ut tigris orba natis" verba Ovidii conferri possint [3]), quibus Medea „de tigride natam" se dicendam esse pronuntiat, nisi opem tulerit Iasoni. Quae nostra observatio tam bene quadrat in v. d. Galli verba [4]) „naturalmente in fatto di derivazione non bisogna cercare le stesse parole," ut mirer, eundem tam saepe diligentius quam acutius derivata verba odoratum esse. Certissima ei videtur in Seneca [5]) imitatio Ovidianae epistulae [6]);

ille habet: „quid cum Siculi virgo Pelori
rabidos utero succincta canes
omnes pariter solvit hiatus?"

hic praebet:

„Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos."

---

1) Vs. 862 sqq. Neque hinc aliena sunt: „Incerta qualis entheos gressus tulit" (vs. 382) et mox „talis recursat huc et huc motu effero."

2) Vid. A. Rh. III, 771, ubi ipsa M. exclamat: *δειλὴ ἐγὼ νῦν ἔνθα κακῶν ἢ ἔνθα γένωμαι.*

3) Met. VII, 32.

4) Op. c., p. 40.

5) Vs. 350 sq.

6) Her. XII, 123.

„Scyllae canes" enim ab Ovidio desumptos putat Galli neque aliunde ortos esse persuasissimum sibi habet. Poterat addere haecce [1]): — „cinctaque saevis Scylla rapax canibus —", sed ne sic quidem ei crediderim. Nam cuncti fere poetae de canibus Scyllae loquuntur. Audiamus Lucretium [2])

„Aut rabidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas";

nonne haec magis etiam cum Seneca congruunt? [3])

Neque tamen perhibebo Lucretium imitatum esse Senecam. Eodem modo quispiam deprenderit in Seneca v. 43 („inhospitalem Caucasum") Horatii (Carm. I, 22, 7.) imitationem. Quodsi cui verba mea nondum persuaserint, legat is velim caput quintum ex viri clarissimi Hartman de Horatio poeta libro: sanatus erit.

Oeconomiam potius tragoediae tractemus, quam obiter iam cum Euripide comparavimus. In editione sua Leo [4]) novationem Senecae vocat quod „chorum Medeae inimicum" depinxerit. Equidem neque inimicum Medeae chorum esse arbitror neque poetam censeo longe ab Euripide digressum esse. Primum, quod a Seneca datur Chori canticum hymenaeum [5]), eo poetae opus erat ut effectu contrario Medeae verba subsequentia spectatorem magis moverent; inimicum erga illam animum in ipsis verbis non invenio nisi forte versibus 114 sq.:

„tacitis eat illa tenebris,
si qua peregrino nubit fugitiva marito."

---

1) Met. VII, 64 sq.
2) Lucr. V, 890.
3) Subsimiles locutiones invenies, Verg. Ecl. VI 74, Catullus 64, 156, Tib. III, 4, 89, IV, 1, 71 sq.
4) Vol. I, p. 164.
5) Vs. 56 sqq.

Praeterea, verba non coram spectatoribus cantata [1]) fere nihil proprii spiritus habent. Sequenti cantico [2]) legimus aetatis aureae laudes, reprehensionem nautarum nimis audacium: de Medea nihil. Chorus autem, ubi mox de uxore agit, quae „viduata taedis ardet et odit", anxius est, at ne hic quidem malevult magae.

Ultima [3]) denique chori verba depingunt eam, ubi summo furore mota „frenare nescit iras"; invocatio Phoebi claudit canticum [4]). „Nefanda Colchis" quae hic vocatur, num ideo choro infestior est quam choreutis Euripideis, qui *οὐλομέναν γυναῖκα* [5]) eam dicunt? Haud opinor. Ergo si omnia perpendimus, concludendum est, cum apud tragicum Graecum tum apud Romanum non tam inimicum esse chorum Colchidi quam abhorrere ab eius consiliis [6]). Euripides vero hic et illic chorum intermiscet diverbio, suadentem vel dissuadentem Iasoni aut Medeae aut Aegeo; apud Senecam chorus nunquam particeps est dialogi.

Nunc videamus, quomodo mutaverit Seneca Medeae indolem et quomodo illius ira usque ad fatale facinus crescat. „In fabulae initio regem nuptamque novam occidere certa est, sed eo consilio ut Iasonem ad fidem reducat." Ita Leo [7]), quem rogaveris, num forte post Creusae mortem grato animo Iason ad Medeam rediturus esset? Tam neglegenter Senecam dramata sua composuisse credere equidem nolo. At credit Leo qui eius tragoedias „declamationes" vocat [8]), „ad tragoediae amussim

---

1) Ut ostendit vs. 116 „aures pepulit hymenaeus meas."
2) Vs. 301 sqq.
3) Vs. 866.
4) Vs. 871.
5) Vs. 1253.
6) Cautius Braun iudicat (op. c., p. 78): „der Chor sympathisirt mit Iason."
7) Op. c., p. 164.
8) Op. c., p. 158.

compositas et in actus deductas." Sed videamus singula. In fabulae exordio ubi prodit Medea invocatis diis compluribus orat, ut Creusa simul cum patre pereat; precatur „peius aliud" Iasoni, nempe ut „per urbes erret ignotas egens, exul pavens invisus incerti laris" cett. Meras hic cerno animi desperati exclamationes; nondum certum heroinae stat consilium. Violenter laesa matrimonii sui fide funditus perdere cupit omnes, qui nolentes volentes exitio fuerint sibi. Animi statum a meditata cogitatione longe remotum agnoscimus e dramate Graeco. Suspicor Leonem quoque idem hoc de loco sensisse; aliter fieri non potuit ut diceret Medeam initio „nequaquam de Iasone sibi reconciliando desperare." Sed quando desperare incipit? Saepius recurrit ira et vindictae cupido. Iam versibus 124 sq. cogitat, quonam vulnere acerrime eum laedere possit; sed nondum tanto facinori par est: tenetur adhuc amore, non minus furioso, non minus intemperato quam est odium eius. Creonti imputare conatur contumeliam quam passa est. Mox ubi prodit rex, dolose ab illa circumducitur [1]: cum iratam Medea se fingat, supplex unum tamen diem impetrat a rege „parando exilio," postquam frustra ut pueri sibi relinquantur, poposcit [2]. Dies, quem tanto ambitu petivit, non frustrabit eius consilia; quae qualia sint, ipsis verbis non dicit, sed de nulla re cogitare possumus nisi de rege puellaque regia occidendis.

Prima Iasonis [3]) verba ostendunt, clarius quam in tragoedia Euripidea, quantum ei valeant pueri; et quotiescunque [4]) mentio de iis fit, curam se eorum habere dicit tali modo,

1) Vs. 246.
2) Vs. 400.
3) Vs. 440 sq.
4) Vid. vs. 509, 544 sqq.

ut pium erga eos animum patris persentiamus. Neque Medeam haec latent, quae secum murmurat[1]: „Sic natos amat? Bene est, tenetur, vulneri patuit locus." Statim pergit: „suprema certe liceat abeuntem loqui mandata, liceat ultimum amplexum dare". Nunc demum simulat aequum animum, postquam, mentione liberorum facta, intellexit, quid sibi faciendum sit. Versus vero 540 sqq. me iudice dicuntur a maga sine ulla simulatione. Concedendum quidem est Leoni, post invocationem Iovis[2]) ista verba prorsus alium indicare animum, sed nondum eam esse sedatam docent quae sequuntur „te novi nati manent"[3]). Haec acerbiora sunt quam ut fraudem continere possint.

Pauca de Iasonis indole addenda sunt. Non solum puerorum sors eum movet, etiam Medeae curam habet aliquam; impetravit a Creonte ne illa occideretur[4]), et, quamquam suum omnino commodum ceteris rebus anteponit, imo pectore angitur adeo ut Iustitiam deam invocet, antequam uxori repudiatae veniat ob oculos. Probum ergo si eum non vocamus, haud tamen prorsus abiecti animi est.

Ovidium in Senecae opere haud raro reperies. Iam comparantibus Senecae versus 116 sq. cum Ov. Her. XII 137 sq., Sen. vs. 489 cum eiusdem epistulae vs. 199 sqq. imitatio perspicua est[5]). Quoniam autem perdito dramate Ovidiano comparationem non longius persequi possumus, aequum videtur, aliquantum ingenii proprii Senecae tribuere.

Rhetorica enim arte Seneca uti sciebat, abusus est saepe. Videmus autem, hodie pariter atque olim Athenis vel Romae,

---

1) Vs. 549 sq.
2) Vs. 531.
3) Vs. 543.
4) Vs. 183 sqq. vs. 490.
5) Plura contulit Leo. Op. c. I, p. 168.

hic laudari usque ad coelum τὸ ῥητορικόν, illic inter vilissima abici. Sic cum Seneca semper fere vituperetur, quod oratorium suum ingenium usque ad vitium usurparit, Euripides saepe, quamquam eidem vitio obnoxius, impunitus dimittitur. Igitur rogare velim Leonem, qui tam libenter Euripideis tragoediis postponit quas vocat Senecae declamationes, quid ei videretur de locis sequentibus si ab Euripide confectos eos ignoraret. Nonne tota stichomythia in Aegei scena rhetorica est? Nonne displicet artificiosa oratio?

Pythiae oraculum ubi Medeae aperit Aegeus ἀσκοῦ με τὸν προὔχοντα μὴ λῦσαι πόδα plura dicturo obloquitur Medea: πρὶν ἂν τί δράσῃς (iam haec non male; sic enim loqui solet animus noscendi cupidus; sequitur:) ἢ τίν' ἐξίκῃ χθόνα; Unde ista invenit? Praecipitur sic Aegei responsum πρὶν ἂν πατρῴαν αὖθις ἑστίαν μόλω. Stichomythia scilicet poscebat, ut singulis versibus se exciperent personae, etiamsi diverbio noceretur. Alterum dabo exemplum. Solemnis est apud antiquos nuntii relatio de rebus post scenam actis qua vix carere poterant spectatores. Sed et haec quoque interdum obfuit arti. Sic summa trepidatione V[u] 1121 sqq. famulus advolat, qui Medeam hortetur aufugere quam citissime: iam periisse patrem filiamque; in eo esse ut cives reae manus inferant. Dubium non est omnem moram fatalem esse. Tamen suadente Medea centum versibus ille fuse exponit ea, quae facta sunt. Hoc quoque artificiosum stilum redolet. Plura facile quis afferre potuerit; sed haec sufficiunt, ut contra Leonem meam stabiliam opinionem, ea, quae vituperentur in Seneca, Euripidi minime deesse. Vitio quoque Tragico Romano vertit Leo [1]), quod in re metrica tam socors fuerit, quod Horatii metra contempserit, cum ipse diversissimis metris lasciviret. Et

1) Op. c., p. 136, 161.

alia damnat et „varia numerorum genera uno eodemque carmine comprehensa." [1]) Concedendum est in Medea etiam tragoedia varia systemata se excipere in eodem carmine. Verum, sive a Graecis hoc desumptum est sive e grammaticorum scholis natum, mihi quidem persuasum est, hoc carmen in scenam prolatum, spectatores movere posse; parum attinet, num Seneca Horatii strophas aut neglexerit aut ignorararit. Praeterea si forte subtiliora metricae artis systemata eum fugerunt, ideone omnino damnanda est eius versificandi ratio? Mihi videtur poeta metris variis adhibitis sententiarum suarum vim non paulum auxisse. Si autem Tragici fabulae non actae fuisse, sed tantum lectae recte dicuntur, graviter id nocuisse arbitror verbi causa versibus 740—848. Quae monologia ut iusto longior sit, ad agendum tamen aptissima est. Pauca afferam.

„Comprecor vulgus silentum vosque ferales deos
Et Chaos caecum atque opacum Ditis umbrosi domum."

Lugubri hoc cantu inferorum numina invocat Medea; trochaicum metrum premit et angit auditorem.

Maestum autem hoc est praeludium funestorum sacrorum quae instant. Tunc devocat „noctium sidus"; omnia dum enumerat, quae in honorem illius deae peregerit, concitatur ipse versus; iambi accedunt, abeunt. Interdum murmurans secum herbas coquit illa et sanguineas guttas. Urgentibus verbis fumi columnae circumvolvunt magae figuram; iam ut vera Ditis sacerdos, circumagitur; videtur sibi aspicere deam, curru per coelum vagantem, „luridam moesta facie". Auxilium deae exorat ad facinus patrandum; tunc in mediis anapaestis [2]) adhortatur manum suam, ut carissimorum caedem aggredi audeat. Nec iam finis adest incantationum;

1) Pag. 146.
2) Vs. 809 sqq.

veniam petit a dea tam assiduarum precationum: „causa una atque eadem est semper Iason." Vindictae consilia menti eius oboriuntur; horridissima dona parat, quae ne sint vana orat abunde. Subito, annuente dea solemnibus sonis et ignibus, quasi redit ad se. Nonne hic agnosci debet actus optime congruens cum metro? Post graves trochaeos senarii surgunt; deinde [1]) alternante quaternario cum senario trepidatio augescit, donec summum furorem afferunt anapaesti. Signo vero dato a dea propitia subito evanescunt e Medeae mente imagines furore plenae. Obtusa voce, quasi desperans de sua salute, dicit: „peracta vis est omnis." Horrendas autem res si quis a vera arte aliena putet, Euripides quoque illi displiceat. Seneca vero de consulto res atroces atque diras ostendere volebat. Quod effecit, neque sine ingenio.

Probabilior profecto Senecae oeconomia eo quoque loco est ubi nuntius mortem Creontis Creusaeque brevissime narrat et mox Medeam hortatur nutrix, ut quam celerrime aufugiat [2]). Sed non id intendebam, ut prae Euripide laudarem Senecam, cui haud dubie, etiamsi Medea eius satis laudanda sit, omnino *τὸ τραγῳδοποιεῖν* parum successit.

Transeo ad **Valerium Flaccum** qui libris VIII descripsit Argonautarum expeditionem ad Colchos reditumque ad Sarmaticam insulam Peucen. Quo ubi Apsyrtus, sororem persecutus, subito advehitur, Iasonem comites orant, ne unius feminae causa tanto periculo se suosque obiciat. Medea vero aliquid mali suspicata, obsecrat maritum, ne promissi sui immemor sit. Hic abrumpitur opus. Ipsum igitur argumentum excludit res, quae Corinthi evenerunt; Euripidem vix hic

1) A versu 771.
2) Vs. 879 sqq.

inveneris. Soli libri VII et VIII comparari possunt, quatenus describunt labores quos suscepit Iason velleris causa. Apsyrtus[1]) persequi dicitur Iasonem Medeamque; igitur iam adolevit[2]). Num ergo ab Apollonio Rhodio (IV 224) hoc desumpserit Valerius diiudicare nequeo; infantem eum fingunt Ovidius et Seneca. Legit haud dubie Apollonium noster, ut totum opus ostendit. Exemplo sit libri VIII initium collatum cum Apollonii l. IV, imprimis Valerii vss. 7 et 18 cum illius vss. 26 et 24 sq. Ovidium interdum Flacco ob oculos fuisse apparet v. c. ex eo quod, ut fecerat ille[3]), Medeam „reginam" dixit[4]); qui titulus displicet, quia regnat Aeetes, Apsyrtus regis filius incolumis est, nae ipsa mater inter vivos versatur[5]). Latius patere vocis „reginae" vim concedimus; sed sceptri utique nomen regnum indicat. Quid ergo significant ista[6]), quibus mater filiam revocare conatur: „haec tua tellus, sceptraque"? Deinde memorantur magicae artes, quae apud varios scriptores fere eaedem sunt. Mira Aesonis grandaevi recoctio tanta crevisse fama videtur ut quasi pro sententia communi poni possit a nostro (VI 444 sq): „recoquit fessos aetate parentes". Argonautae modo vocantur Graji modo Minyae, quae vox apud Euripidem non invenitur. Quod autem apud Valerium Medea summo dolore mota valedicit patri carissimo, id nusquam alibi legere me memini.

In Baehrensii Poetis Lat. Min. (IV p. 219 sqq.) opusculum **Hosidii Getae**[7]) legimus, quod quadringentis fere versibus

---

1) VIII 261.
2) Infantem vel paucorum annorum esse eum apud Euripidem patet.
3) Epist. XII, 1.
4) VI, 657. VIII, 47. 146 sq.
5) VIII, 140.
6) VIII, 146 sqq.
7) Cf. Schanz, R. L.[2] II, 2, p. 353.

de Medeae vindicta agit. Tragoediam dare voluit poeta, sed revera isti sunt panni e Vergilio consuti. Personis deest Aegeus, addita est umbra Apsyrti. Chorum agunt non Corinthiae feminae, sed Colchides. Cum Seneca uno nomine congruit Hosidii fabula: utriusque opus incipit a Medeae monologia; ceterum pluribus rebus differunt inter se. Unum et alterum dabo exemplum. Metrorum varietatem, quam invenimus apud Senecam, hic frustra quaesiveris. Prologus et omnia interloquia dactylico metro confecta sunt; contra si chorus loquitur, semper paroemiaco utitur versu:

„Rerum cui summa potestas,
Precibus si flecteris ullis,
Et si pietate meremur,
Nostro succurre labori" [1]).

Cantica non in strophas dividuntur sed uno tenore ad finem usque decurrunt. Medeae filii intersunt diverbio, ipsi causam suam defendunt contra Apsyrti umbram. Audimus eos matri obloquentes [2]):

„Nec te noster amor pietas nec mitigat ulla
Nec venit in mentem natorum sanguine matrem
Commaculare manus? nostri tibi cura recessit
Et matri praereptus amor?" [3])

In tanto discrimine risum movent verba tam insulsa. Neque delenire videntur matrem, quae respondet:

„Crimen amor vestrum spretaeque iniuiria formae [4]).

1) Semel tantum, invito metro: Felix heu nimium felix (vs. 43).
2) Vs. 399.
3) Ridicule huc attractus et detortus est Verg. Aen. IV 516.
4) Aen. I. 27.

His mersere malis" [1]). Verba sane obscura, sed luce vix digna. Abrupte admodum sequitur „fratrem ne desere frater", quem versum a Medea dici valde miramur. Sed hoc voluit poetaster, matrem crudelem mortuo puero ubi morientem adicit, adeo pietatem humanitatemque exuisse, ut ridere etiam possit de miserorum sorte. Dubitaremus, num temporis tam parvo articulo scelus esset perpetratum, nisi ipsa maga certiores hac de re nos faceret hisce: „Poenarum exhaustum satis est" [2]). Unum probabile satis excogitavit Hosidius: petit [3]) enim a rege Medea ut „liceat subducere classem Dum pelago desaevit hiems" [4]). Causa igitur addita est, quae moveat Creontem, ut unius diei moram Medeae concedat. De Creontis vero morte nihil audimus.

Ultimus nobis restat Hosidio etiam indignus versificator, nomine **Dracontius** [5]), qui carmen scripsit epicum. De Pelia non agit; ultro Iason „pelagi temerator primus" velleris causa advehitur, immo desiliens de nave adnatat. Quem, ab incolis captum, ubi Medea, Dianae sacerdos mactatura est, *ξενοκτονίας* more [6]), Cupido „misit arundineum per flammea cornua ferrum". Illa amore capta fatalem plagam impingere nequit, quamquam nihil intemptatum relinquit nutrix ad firmandum dominae suae animum. Mox orto cum Iasone colloquio [7]) dictis gavisa virago

> Blanda refert: vis ergo meus nunc esse maritus?
> „Servus", Iason ait."

1) Aen. VI. 512.
2) Aen. IX 356.
3) Vs. 79—81.
4) Aen. IV 52.
5) Vid. Teuffel R. L.[5] II, p. 1220 Baehrens P. L. M., V. p. 192—214.
6) Vid. vs. 30 sq. cf. Diodorus Sic. IV, 46, 1.
7) Vs. 252 sqq.

Parodiam legere nobis videmur; tam subito matrimonium pactum est[1]). Quo facto per quatuor annos continuos vivunt inter Colchos; tandem Iason optat revisere suos[2])

„iterumque reverti
Ad thalamos, regina, tuos".

Reginae vero magis placet una ire; auream pellem abripiunt („Dormitat serpens", vs. 363, ergo sopire eum opus non est). Thebarum, ut hic audit, regi Creonti[3]) pellis datur aurea, filia Glauce in ipsa cena nuptiali, corona accepta, perit flammis quas „radians Phoebus alit". [4]) Eodem igne uritur Iason, uritur Creon. Denique

„uno simul ense noverca[5]).
Transegit pueros."

Sed linquamus ista, gaudentes, quod non ultimum Medea Euripidea sic locuta est; post multa saecula apud Francogallos, mox apud Britannos et Germanos mythus denuo emersit et viguit, nae ipso quo vivimus anno adspicere barbaram magnanimam in theatro plus semel nobis licuit[6]).

---

1) Vs. 340.
2) Vs. 355.
3) Vs. 366.
4) Vs. 518.
5) Admodum contorte hic noverca dicitur M. scilicet quia (vs. 22) „cruentatam fecit de matre novercam."
6) Materiem minime exhausi neque exhaurire volebam. Prudens omisi unum et alterum locum, cui novi nihil inerat. Cui bono enim singulos landare versus qui praeter heroinae nostrae nomen proprii nihil ostendunt? Quare tacui de versibus qualis est Statii Silvarum II: 1, 141 vel Martialis epigramma v. 53. Libanii orationes ἠθοποιίαι (I et XV) quid debeant Euripidi aliisve, quid ipsius ingenio non diiudico. Fieri denique facile potuit, ut nonnulla me fugerent.

CAPUT II.

De monumentis posteuripideis quae Medeam exhibent.

Monumenta, quae hoc capite examinabo, magna parte tanto temporis spatio distant ab Euripidis Medea ut sine ulla dubitatione temporibus posteuripideis tribuere ea possim. Ex quo genere sunt opera caelata omnia, quae argumentum nostrum illustrant, item opera tectoria. In vasculis vero discernendis maiore opus est cura, ideoque vasorum imagines non afferam nisi, quo tempore sint pictae, prorsus constabit. Dubitare autum de nonnullis imaginibus vasculariis licet, quia in editionibus antiquioribus negligenter depingi solent.

Ac primum quidem hoc loco monumenta quaedam posteuripidea notanda sunt, quae a scriptoribus Graecis Latinisve memorata iam perierunt. Afferri enim possunt Iuvenalis et Martialis qui in porticu Neptuni ab Agrippa aedificata Iasonem admirabantur [1]). Deinde Philostratus uterque descripsit tabulas pictas aliquot ad celeberrimam expeditionem pertinentes: Philostrati Maioris Imago quindecima libri II agit de nave, quo temporis momento *Βοσπόρου καὶ Συμπληγάδων διεκπλεῖ*. Enumerantur nautae complures, qui stupefacti intuentur Glaucum

1) Iuv. VI 153 sq. Mart. II 14, 5 sq.; cf. Dio C. 53, 27.

Pontium, ὃς (φεῦ τοῦ βραχίονος) γεγύμνασται πρὸς τὴν θάλατταν. Iunior Philostratus Imagine VII depingit Medeam in Colchis, modo Iasonis amore captam, simul Iasona, εἶδος ἁβρὸν μὲν, οὐ μὴν ἔξω τοῦ ἐρρῶσθαι. Tunica alba vestitus erat et pelle leonina [1]) καὶ κρηπῖδα ἐνῆπται (unam sc.)[2]) ἀκοντίῳ τε ἐπερείσας ἑαυτὸν ἕστηκε. Defluebant in humeros capilli, quibus alibi saepe insignis est heros [3]). Imagine undecima navigantes describit Medeam et Iasonem, praeterea Orpheum. Ceteri Argonautae omnibus viribus remis incumbebant, ut Aeetam effugerent. Eadem Imago dabat draconem sopitum, necnon Aeetam, statura plus quam humana praeditum, qui dextra facem tenens in quadrigis stabat.

Luciano [4]) nota fuit imago, in qua scena occurrebat, qualem saepius videbimus in monumentis superstitibus: pueri, quid sibi impendeat ignari, talis ludunt, cum iam in eo est, ut fatalem plagam mater iis impingat [5]).

Omnia quae hucusque enumeravimus monumenta, ad Euripidem referre audacius fuerit iam ideo, quod fere nunquam de singulis imaginibus usque in minutias nobis constat, nam ne acutissimus quidem spectator describere ab omni parte imaginem valet. Ne tamen quis dubitet de artificum imitationibus, inspiciat Philostrati Minoris imaginem octavam, quae tertii libri Apolloniani initium satis fideliter reddit. Sed spectemus, quae spectari possunt.

Primum habemus in opere tectorio ab Hermanno publi-

---

1) Tali veste amictus nusquam alibi prodit; Pindarus Pyth. IV 81 (= 144) de pantherino vellere loquitur.

2) Cf. Pind. Pyth. IV, 75, 96.

3) Cf. Pind. c. c. 82 sq. et vas Can-Mon. in opere: Furtwängler u. Reichhold, Griechische Vasenmalerei, tab. 90.

4) De domo 31.

5) De Timomacho infra agemus, ubi ad eos, qui secuti illum dicuntur, venerimus.

cato [1]) **Peliam**, qui Neptuno sacrificaturus subito aspicit Iasona, quem oraculi monitu cavendum esse novit. Altero tantum pede calceatus procedit hic, quod postquam rex, quem de scalis descendentem duae comitantur filiae, animadvertit, stupore motus gradum inhibet, diductis oculis advenam inimicissimum intuetur. Item filiae duae modo memoratae et tertia quae pateram in mensa sacra deponit, necnon famulus, qui victimam adducit, omnes denique tenentur eadem sollicitudine. Solus Iason tranquillus adstat. De exemplo, quod secutus est pictor, nihil pro certo dici potest; P. Hermann [2]) observat, filiam quae ad patris dexteram stat, pallium peculiari nodo nexum habere, qui habitus aevo „hellenistico priori" placeret: exemplum igitur nostrae imaginis huic tempori tribuendum esse. Similis fere imago conspicitur in tab. 76, sed crassiore arte confecta [3]). Addita fuisse videtur quarta regis filia, ut e paucissimis vestimenti reliquiis intellegi potest, praeterea figura doryphori, de quo clipeus ex parte et brevis tunica supersunt.

In **moneta Magnesia** [4]) videmus Argo remis motam; nomen navis additum est. Eandem praebet lapis Etruscus, addito nomine EASUN [5]), necnon, si credendum Seeligero [6]), alius lapis (Impr. gemm. d. I. 3, 65), qui mihi non praesto fuit. Etiam fragmentum quoddam operis caelati [7]) plures dat homines in nave sedentes. E quibus tamen me quidem iudice solus Hercules agnosci potest, ceteris nullo indicio notatis. Cur Tiphys vocandus sit (ut perhibet Millin) [7]) is, qui guberna-

1) Hermann-Bruckmann, Denkmäler der Malerei des Altertums, tab. 75.
2) In opere laudato, p. 98.
3) Pag. 99, Hermann linea 2 „Iason" scripsit; lege „Pelias".
4) Millin, Galerie Mythologique, nr. 420.
5) Micali, mon. ant. 116, 2.
6) Vid. Roscher, II, 78, 27.
7) Millin, G. M., nr. 419.

culum tenet, non intellego; sic nulla non navis ad Argonautarum expeditionem referri potest. Sed iam Seeliger[1]) observavit, neque hic diiudicari posse, quod sit argumentum, neque in operibus[2]), quae repraesentant navem structam duce Minerva.

Labores autem quos passi sunt Argonautae plerique occurrunt in monumentis; imprimis fuse eos exposuit caelator in **cista „Ficoroni"** vocata[3]). Amycus[4]) ibi caestu superatus a Polluce affigitur arbori; adest Minerva, quae navem paraverat. Ipsa quoque navis depicta est, in qua unus et alter quiete fruitur post varias tempestates. Quis inter eos sit Iason, equidem haud facile dixerim, nullis enim indiciis singulae figurae insignes sunt. Gerhard[5]) cistae argumentum comparavit cum imagine **vasculi Nolensis**; falsa ratione tamen ductus virum barbatum, qui duabus hastis nititur Iasonem esse negavit; barbatus enim saepius occurrit heros, ut mox videbimus[6]). Cum autem iam haec imago parum huc attineat, ceteras Argonautarum imagines, quibus deest Iason, utpote a nostro argumento alienas, omittam.

Maioris nobis momenti est vas, de quo varie disseruerunt viri docti, donec tandem Furtwängler rem quo solebat acumine solvit[7]). Quia autem K. O. Müller, Panofka, Pyl[8]), cum in ceteris multum dissentirent, tamen haud dubitabant quin Iason adesset in superiore vasis zona, ego

1) Roscher I, p. 526, 7 sqq.

2) Campana 5 Zoega Bass. 45 Millin, G. M. 417 et 418. Herm. Br. tab. 87 num huc pertineat, cum editore ignoro.

3) v. Baumeister, Denkmäler vol. I, p. 122.

4) Cf. A. Rhod. II, in.

5) Auserl. Vas. tab. 153.

6) Furtw.-Reichh. op. c. tab. 90, cylix attica v. Roscher II, p. 85—86.

7) Idem vasis imaginem expressit: op. c. tab. 98 et 99.

8) Qui in diss. „de Medeae fabula" p. 18 sqq. utriusque attulit opinionem.

praeterire illam imaginem nolo, quamquam neque cum Iasone, neque cum Medea, neque omnino cum Argonautarum mytho eam cohaerere iam constat.

Quod autem tamdiu in vasis argumento designando erraverunt viri docti, hac in re causanda praecipue imago inferioris zonae [1]), quae omnium consensu praebet Iasonem vellus eripientem draconi. Videmus enim illic heroa summo impetu adorientem monstrum, quod de rupe se attollit, scilicet ut vellus in quo cubat, defendat contra hostem. A tergo Iasonis Medea manu portat cistulam, quae sine dubio herbas magicas continet. In transitu moneo, artificem hic discrepare cum Euripide, apud quem multo graviores in labore perferendo magae sunt partes [2]). Sequuntur Argonautae quinque, quorum duo alis insignes: Boreadae sunt. In altera huius zonae parte repraesentatur Centaurorum Lapithumque pugna.

In zona superiore ab altera parte novem Musae suae quaeque arti indulgent. Quid vero dicendum de altera imagine? „Senex calvus", ita Pyl [3]), „barbatus, peplo indutus ab iuvene tesseram, in qua *ΣΙΣΥΦΟΣ* inscriptum est, accipit." Propius tamen inspectanti imaginem pictam apparet senem porrigere tesseram iuveni, non seni iuvenem; atque iam v. d. Flasch [4]) observavit, hunc senem legere inscriptionem quae maximi momenti hic esse debet.

Priusquam vero in imaginis argumento investigando pergamus, ipsam istam tesseram propius aspiciamus. De qua Furtwängler [5]) sic iudicat: „Mit Recht hat man in dem

1) Fieri quoque potest, ut Sisyphi nomen dudum cum Corintho coniunctum, ideoque etiam cum Aeeta coniungendum (Paus. II, 3, 10) in errorem induxerit eos.

2) Vid. Eur. Med. 480 sqq.

3) Op. c., p. 18.

4) Angebl., Argonautenbilder, p. 37.

5) Op. c. p. 205.

Täfelchen eine tessera hospitalis erkannt." Iure? Obstat, si quid video, tesserae forma, quae hederaceo folio simillima est. At nunquam tesserae in usum hominum sunt fictae; fragmentis tantum vasorum pro tesseris utebantur [1]). Quapropter folio non tam erant similes, quam quae hic depicta est. Agitur in nostra imagine, ut mox videbimus, de hospitio; et quidem traditum est, e. g. a Platone, ad hunc usum tesseras hospitales frangi solitas esse [2]), sed hic integram videmus tesseram. Quae igitur quomodo dici possit tessera hospitalis, iure rogamus. Atque hic afferendi sunt Plauti loci nonnulli, qui de tesseris hospitalibus agunt, inter quos duo insignes sunt. Alter [3]) haec praebet:

„Si ita est, tesseram,
Conferre si vis hospitalem, eccam attuli."
„Agedum huc ostende, est par probe: nam habeo domi."

Nullum est dubium, quin hic de duabus tesseris inter se similibus sermo sit. Si enim de una tantum eaque fracta inter eos olim actum fuisset, Agorastocles, quippe qui fragmentum suum domi reliquisset, dicere non potuisset: „est par probe". Ussingium autem haud aliter sensisse cognovi ex eius ad hunc locum adnotatione. Omnino in literis Romanis quantum quidem scio, de fracta tessera non fit mentio, neque scio an hic usus Romanis ignotus fuerit. Si enim

1) Vid. Valeton in Mnenos. XVI, p. 1 sqq, quem laudat Wilcken, Ostraka I, p. 4. Paucissimae autem tesserae quae in formam rotundiorem circumcisae esse videntur (C. I. A. IV 1, 3 nr. 569 cf. Arch. Zt. vol. 4, p. 212) rem confirmant potius quam debilitant. Nam taceo de manibus aeneis vel eburneis aliisve rebus, quae tesserarum nomine indicabantur; non enim sunt fictilia. De huiusmodi symbolis imprimis inspiciendus est J. Ph. Thomasinus, „de tesseris hospitalitatis, quem vide, p. 106 sqq.

2) Plato Symp. 191 D. Schol. Eur. Med. 613, cf. Stephanus i. v. σύμβολον.

3) Poen. V 2, 87 sqq. = 1047 sqq.

„frangere tesseram" apud eos idem significaret quod „foedus inire", cum „confringere tesseram" de rumpendo foedere adhiberent Romani [1]), res contrariae facile confundi potuissent, quod a lucida Romani sermonis perspicuitate abhorrebat. Tesseram alterius tesserae convenientem poscebant inter se hospites, id quod alter quoque locus probat [2]):

„Ea causa Miles hic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex anulo suam imaginem,
Ut qui huc afferret eius similem symbolum,
Cum eo simul me mitteret."

Ergo, ut ad imaginem nostram revertamur: tessera ista aut cum Platonis loco laudato pugnat aut cum locis Plautinis, quos unicos hac in re afferunt lexica. Sed fieri potest, ut totus tesserarum mos *περιπλομένων ἐνιαυτῶν* mutatus sit. Etenim legimus apud Platonem, antiquissimis temporibus in iungendo hospitio tesseras dimidiatas (quas non inscriptas fuisse ipsa res indicat) in usu fuisse. Postea vero (qui hellenisticae fortasse aetati desumptus mos apud Plautum perlucere videtur) duas consimiles tesseras, nominibus inscriptas hospes hospiti tradere solebat. E vase autem nostro effeceris obtinuisse, ut utraque tessera alterius hospitis nomine inscriberetur. Attamen quoniam veram tesseram i. e. rem fictilem hic repraesentari iure negavimus, equidem pro certo habeo, folium effictum hic esse. Foliis enim homines ad scribendum uti solitos fuisse libri papyracei abunde testantur. Neque papyri caulis tantum in hunc usum adhibebatur; palmarum folia usurpata esse Plinius Maior narrat [3]); oleagina quoque folia huc pertinere putat Gardt-

1) Vid. Plaut. Cistell. II: I, 27 = 328.
2) Pseud. I: 1, 53 sqq = 55 sqq.
3) H. N. XIII 11, § 68—69.

hausen[1]), referens petalismum Syracusanum et ἐκφυλλοφορίαν[2]) Atheniensem. Hederae folia vix minus quam oleae huic rei apta videntur.

Sed, ne iusto longius digrediamur — senex, ut iam diximus, tesseram vel folium tradit iuveni. Quid tamen haec cum Sisypho? Variis modis rem explicare conati sunt Panofka, Pyl, Jahn, alii, quorum argumenta reddere nolo[3]). Plerique enim, cum utique cohaerere putarent argumenta singularum zonarum, admodum contortas excogitaverunt interpretationes, quibus Argonautarum mytho hanc quoque imaginem vindicarent. Primus Flasch[4]) ausus est disiungere singulas zonas; neque tamen hic enodare quaestionem potuit. Tandem Robert, quamquam dubitanter, rem tantum non solvit. Is enim, cum in vinario a Dionysio quodam caelato[5]), quid Autolycum inter et Sisyphum actum sit, depictum vidisset, primum inscriptione in nostro vase admonitus, putabat hic quoque repraesentari mythum ex Hygino notum[6]), cuius origo ex Hesiodo petenda sit; quem mythum sic fere auctore Roberto reficere possumus. Autolycus cum variis artibus Sisypho unum et alterum bovem surripuisset, tandem ab eo superatus est. Sisyphus enim boum ungulis nomine suo inusto, Autolycum deprendit. Qui adversarii dolum tantopere admirabatur, ut hospitio

1) Griech. Palaeogr. p. 23.

2) Vid. Bekker Anecd. Gr. i. v. (I. p. 248) item Etym. Magnum i. v.

3) Unum sufficiat exemplum. Jessen (Proll. in Cat. Argonautarum p. 43) dicit senem ostendere Sisyphi nomen, tamquam avi insignissimi, quo Medeam filiam Graeco viro haud indignam probet. Taliane dixerit „socio alicui Iasonis"? Quidni ipsi Iasoni?

4) Angebl. Argon., p. 30 sqq.

5) Vas Anthedone oriundum Berolini nunc servatur. Cf. Berl. Winckelmannspr. 50, p. 92.

6) Hyg. fab. 201; locos collegit Robert, op. c. p. 90 sq.

suo eum dignaret. Sisyphus autem hospitis filiam Anticleam violavit et recuperatos boves abduxit. Deinde Laertes, quamquam rei non nescius, Anticleam matrimonio sibi iunxit. Nihil autem obstare videtur Roberto, quin senex barbatus Autolycus sit; iuvenem vero qui accipit tesseram Sisyphum esse negat. Recte; cur enim Sisyphus legeret tesseram suo nomine inscriptam? Praeterea observat Robert cum nuptiis solemnibus parum convenire animum suspensum, quo tenentur omnes personae.

Rem inchoatam denuo suscepit Barnett [1]. Is Autolyci Sisyphique historiam hic tractari sibi persuasit, iuvenem vero supra dictum quod gladio armatus sit, non adnumerat Laertae comitibus. Alii enim inter eos hastam tenent, alii armis carent; haec tamen discrepantia parvi momenti mihi videtur. Alteram imaginem repraesentare dicit Laertem, amicis ostendentem nuptam suam. At neque Barnett neque alii suspicari poterant, in imaginibus iuxtapositis bis eandem occurrere personam [2], idque ideo, quia in hac scena Laertes quin adesset, non dubitabant, in priore scena iuvenis, qui tesseram legit, Laertem esse negabant.

Si autem cum Furtwänglero [3] non offendimur hac re perquam insolita, nihil obstat, quin Sisyphi dolum et Anticleae Laertaeque nuptias hic dari existimemus. In prima enim scena fingitur Laertes, qui tradita tessera (et fortasse ab Autolyco doctus) violatam esse Anticleam intellegit; ipsam pudore et dolore deflictam consolatur mater. Omnia sic inter se congruunt, sive gnaro Autolyco scelus patratum est,

1) Hermes XXXIII, p. 640 sqq.

2) Quod in vasis, nunquam fit nisi series factorum depingitur. Nam Thesei e. g. facta varia poscunt nimirum, ut identidem ipse adsit; vid. patera Madriti servata, et subsimilis patera in Mus. Brit. (F.-R.-Hauser III, p. 48 sq.).

3) F. u. R. II, p. 201 sqq.

sive inscio [1]). Illud Furtwänglero [2]) verum videtur. Et, quantum ex imagine depicta effici potest, agnosco, senem adstare vultu flagitium dissimulantem.

Restat dubia res, quam tractare Furtwängler supersedit. Obiter enim spectanti non patet, cur Laertes, tesseram legens, coronam portet. In altera imaginis parte omnes coronati sunt iuvenes, quippe qui nuptiarum solemnium sint participes. Ego sic rem explico, Laertem, ubi res in eo sit, ut nuptiae celebrentur, ab Autolyco audire violatam esse Anticleam. Quod eo facilius credimus, quia sic tragoediae addere possumus momentum vere dramaticum [3]). Cogita modo de tam subita rerum mutatione! Iam adest Anticlea, mundo nuptiali [4]) insignis. Loqui non ausa est de Sisypho, tremebunda adstat; sperat adhuc, fore ut omnia celentur. En promit tesseram Autolycus, quam stupore motus legit Laertes. Tota scena spirat tragoediam; simulationem senis, quam, ut vult Robert, causavit spes, fore ut Sisypho patre filiae suae nasceretur proles omnium astutissima, optime e nostra imagine intellegere possumus.

Ea, quae Colchis evenerunt, multis monumentis illustrata sunt. Sic primum Iasonis Medeaeque congressum furtivum agnoscere sibi visus est Robert in **fragmento operis caelati**, Romae servato in villa Ludovisi [5]). Singula conferre cum Apollonii loco III 962 sqq quod fecit R. vix opus est; ne de manibus quidem iunctis ibi fit mentio.

---

1) Illud apud Schol. ad Soph. Ai. 190 legitur, hoc dant Hyg. fab. 201 et Tzetzes ad Lycophr. 344.

2) Op. c. p. 205.

3) Drama aliquod pictori exemplo fuisse persuasum sibi habet Furtw. op. c. p. 206.

4) Sic enim voco coronam et velamentum, contra Seeligerum (Roscher II, 2501, 41 sq.).

5) Vid. Robert, die antiken Sarkophagreliefs, tom. II, nr. 192*a*.

Unica causa ob quam Robert personas in eo fragmento effictas Medeam et Iasonem vocarit ea fuisse mihi videtur, quod in alio quodem opere ibidem servato [1]) simili arte sculptae sunt figurae.

Neque prorsus mihi persuasum est de argumento **imaginis Pompeianae.** Vir mulierque artissimo coniuncti sunt amplexu; hic dari „das erste Zusammentreffen des Iason und der Medeia" putat Rossbach [2]). Hunccine primum congressum? Etiamsi illud „veni vidi vici" non minus valet in re amatoria quam in re militari, tamen sic in mutuum amplexum ruere homines qui nunquam ante se viderint, id ne milesiarum quidem fabularum est. Ceterum reliquae personae, quatenus definiri possunt, in mythum nostrum haud male quadrant. Videmus e. g. nutricem Medeae grandaevam, quae apud Euripidem dicit prologum, alumnam suam deserentem. In recessu templum conspicitur apertum; supra aram in coelum se attollit dea, quae in eo est, ut fanum deserat. Saepius deam patronam abiisse indignatam, si quis ei carus illicito amori se daret, monet Rossbach. [3]) Dianam hanc esse vel Hecatam, e qua nata dicebatur Medea [4]) facile credas, quamquam antiquiores scriptores hanc rem non memorant [5]). Supra templum Minerva dea, ipsa Argonautarum dux, in aere pendens repraesentatur. Populum nigrifoliam, ut vocat Rossbach arborem allato Apollonio III [6])

---

1) Op. c. nr. 192.

2) Jahrb. d. I. 1893, p. 54.

3) Ibidem.

4) Qui exempla affert e Mythogr., Vatic. II, 207.

5) Diod. Sic. IV, 45, 3.

6) In Euripide hic nihil subsidii. Dracontii versus (296 sqq. vid. Poet. L. Min. V, p. 203) quatenus cum imagine cohaerere possint, iudicent alii; sed hic quoque ultima mala sacerdoti infidam discedens dea imprecatur. Deinde „tristis abit, delubra tacent, sacraria maerent."

vs. 927 (*ἐγγύθι νηοῦ / αἴγειρος φύλλοισιν ἀπειρεσίοις κομόωσα*) potius quercum dicendam puto; populus certe non est.

Ut aliquatenus imago modo tractata conferri possit cum nostro mytho, ita personae quas praebet **vas**, c. t. „**Portland**" [1]) nullo vinculo cum eo cohaerent. Aptior est comparatio cum **vase Apulo** [2]) cuius collum hac scena ornatum est: in rupe sedet mulier Graece vestita, nisi quod caput tectum est phrygico velamento. Manibus cistulam porrigit iuveni, qui feminam versus extendit manum dextram, dum laeva tenet hastas duas. Adsunt iuvenes tres, quorum duo alis suis Boreadas se testantur. Videtur Iason interrogare heroinam de herbarum quas manu tenet vi.

Vas Berolinense [3]), quod Pyl [4]) huc traxit, num ad eandem rem sit referendum, valde dubito. Certa enim indicia desunt, quibus freti Iasonem agnoscamus in imagine inferiore; Herculem vero coniungere cum Phrixo, hoc facere mythum est, non sequi. Nullum vero dubium exstat, quin Medea sit ea figura, quam videmus apud **Millingen** [5]). Iuvenis hasta armatus vellus arietinum tradit regi cuidam, qui magnifico ornatu in solio sedet, imperii insigne manu tenens sceptrum. Laborem feliciter exiisse significat Victoria alata, quae iuveni coronam impositura est. Post hunc stat mulier mitra orientali tecta [6]), manibus in pectore iunctis. Ab altera parte famula sellam apportat, nimirum ut heros modo advectus pro dignitate recipiatur. Fuerunt autem [7]), qui putarent

1) Vid. Baumeister III, Col. 1802.

2) Gerhard Ap. Vas. tab. X.

3) Nr. 8256 in Furtwängleri catalogo.

4) De Medeae fabula, p. 10.

5) Millingen, peint. d. vases de div. coll. tab. 7.

6) Phrygium vestimentum gerere eam, non concedo Pylio (p. 55); Graece vestita est.

7) Inter quos Flasch (Ang. Arg. p. 34).

Medeam hic et Iasona repraesentari, quo die hic Aeetae vellus captum deferat. Ergone peracto labore Aeetae vellus tradiderit heros, quod mox suo iure recuperaturus est? At cur Medea, quae tantis dolis circumierit patrem, adesse ausa sit? Pugnant praeterea ista cum versione tradita [1]). Aut enim promisso cum stet Aeetes, Iason periculis ereptus vellus accipit; aut inimicum regem etiam tum veriti clam abeunt cum vellere rapto. Neutrum hic fit. Satius videtur, cum O. Müllero et Pylio [2]) cogitare de Iasonis ad Peliam reditu [3]).

Aeetem vero habemus in **sarcophago**, quem expressit Robert in opere celeberrimo „die antiken Sarkophagreliefs." [4]) Iason ibi coram rege tauros ignivomos domat; dextra manu iam compressit alterum, altero repugnante. Optime atque accurate hic artifex illustravit Apollonii verba [5])

καὶ ῥ' ὅγε δεξιτεροῖο βοὸς κέρας ἄκρον ἐρύσσας
εἷλκεν ἐπικρατέως παντὶ σθένει, ὄφρα πελάσσῃ
ζεύγλῃ χαλκείῃ, τὸν δ' ἐν χθονὶ κάββαλεν ὀκλάξ,
ῥίμφα ποδὶ κρούσας πόδα χάλκεον.

Aeetes in rupe sedet, pallio dependente ab humero; barbatus est, taenia capillos ornat; laeva manus nititur sceptro. Apsyrtus quoque adest. Consimilem scenam habemus in **sarcophago Vindobonensi**, nisi quod hic additi sunt Dioscuri, qui iugum paratum tenent, praeterea doryphorus, qui laeva manu duas tenet hastas, cum dextram quasi mirabundus porrigit.

---

1) Unus Herodorus (vid. Schol. A. Rh. IV 87) refert heroa tradidisse vellus Aeetae.

2) Hunc vide, p. 56.

3) Flasch, ratus apud scriptores nunquam Peliae reportare vellus Iasonem, neglegit Apollod. I:9; 27, 3.

4) Tom. II, tab. LXI, n. 188—190 cf. 191.

5) A. Rh. III, 1306 sqq, quae affert R.

Omnes quae in sarcophagis illis sculptae sunt figurae, vestitae sunt more Romano: Iason aut nudus est, atque clipeo tantum galeaque armatus, aut loricam gerit Romanam. Medea nunquam, ut in vasis fit, tiara insignis est. Solus Aeetes orientalem vestem retinuit.

Iasonis cum tauris certamen aliquot imaginibus illustratur, quae fortasse sculptori Romano non ignotae fuerunt. E quibus eam [1]) potissimum notamus, quae et alias dat figuras et Medeam splendide ornatam. Nam Medeam hanc esse omnes viri docti consentiunt, cum de reliqua imagine explicanda diversissime iudicent. Iuvenis enim qui clavam et pallium in terra deposuit domare conatur non duos tauros, sed unum tantum. Ergo fuerunt qui de Thesei cum tauro Marathonio certamine cogitarent. Sic haberemus Theseum coram inimicissima noverca, spectante praeterea Minerva (nam et haec adest), pugnantem cum bove ingenti. Heros Atticus, si ab Aegeo suadente Medea contra taurum missus sit, cur ipsa Medea adfuerit? Quam cito pede abire dicit Michaelis [2]); sed eodem iure perhibuerim equidem approperare eam ut Iasoni auxilium ferat. Quoniam autem alter deest taurus, non omnino congruit imago cum narratione communi, quae de duobus semper loquitur [3]), Sed, quidquid proposuerunt Michaelis [4]), Robert [5]), Lehnerdt [6]) ad quaestionem dirimendam, ego prae-

1) Vas Petropolitanum; vid. Roscher II, col. 2513. Quod vulgo annumeratur iis, quae in oppido Kertsch reperta, post annum 400 poni solent; Seeliger vero (Roscher l.l. 2501, 12 sqq.) antiquiori arti deberi censet.

2) Arch Zt. vol. 34, p. 75.

3) Ap. Rh. III, 1306 sqq. Eur. Med. 478 sqq.

4) Arch. Zt. vol. XXXIV, p. 77 et XLII, p. 231 sqq.

5) Arch. Zt. vol. XLI, p. 262.

6) Arch. Zt. vol. XLIII, p. 115 sqq.

fero Purgoldii [1]) explicationem, quam allato etiam vase [2]) quodam **Neapolitano** abunde firmavit. Videmus ibi in suggesto stantem mulierem magnifice vestitam [3]), de cuius humeris velamentum defluit; dextra manu adhortari videtur iuvenem, qui ut bovem superet summam admovet vim. Altera manu quamquam is tenet clavam (telum nostro heroi minus solitum), tamen quin revera sit Iason, non dubitandum, quia draco prominens ex arbore (cui adiacet vellus) laborem instantem aperte indicat; insuper Victoria alata Medeae fidem facit de certaminis exitu. Quod autem unus tantum adest taurus, vel quod clavam habet Iason, utraque res, secundum Purgoldium, ostendit „die Freiheit in welcher die Vasenmalerei der mythologischen Ueberlieferung gegenübertrat." Hanc opinionem si amplecti non veremur, satis nobis constare potest de Euripidis imitatione in vasis duobus modo tractatis; quod tamen attinet ad vas Petropolitanum, dubito num fabula Euripidea artificis menti observata sit.

Aliud **vas Neapolitanum** [4]) subsimiles res praebet. Nihil vero obstat quominus Iasonem agnoscamus in **nummo Neronis** [5]), ubi eadem statura qua illic repraesentatur: alterum iam taurum subegit, dum ad alterum superandum nititur toto corpore. Eiusdem argumenti est **scarabaeus** [6]) (qui in Museo Hauniensi servatur) quamquam singulae figurae non satis lucidae sunt.

---

1) Arch. Zt. vol. XII, p. 163—170.

2) Arch. Zt. vol. XLI, tab. 11.

3) Miror tantum, Purgoldium contra Heydemann (die Vasen des Museo Nazionale z. Neapel, p. 558) illam mulierem Medeam esse negare sed Venerem vocare. Deam non esse censet etiam Robert; ut vero ad Acheloi cum Heracle certamen rem referat, nimis temere nititur Soph. Trach. versibus 9—24 et 507 sqq.

4) Vid. Vasensammlung d. Museo Nazionale z. Neapel nr. 2413. Imaginem expressit Roscher (Lex. II, 81).

5) Pedrusi, Mus. Farn. 5, 3, 6,

6) Furtwängler, Ant. Gemmen, tab. LXIV, 36.

Praeterea Campana [1]) exhibet **opus caelatum** ubi Medea manu portat pateram, in quam delapsum est caput anguis sopiti. Iason accedit porrecto laevo bracchio, quo sustinet chlamydem.

Vasorum inscriptiones quanti momenti sint in Medeae quoque historia apparet; sic legimus heroinae nostrae nomen in **amphora Neapolitana** [2]): ipsa draconis oculis herba magica somnum obducit. Hasta longa Iason adoritur monstrum, quod circumplectitur arborem, in cuius ramis aurea pellis quoque conspicua est; ab altera arboris parte Hercules clavam torquet contra draconem. Complures adsunt Argonautae, inter quos Calais eminet, quem praeter nomen alae significant. Sed non pauca hac in amphora addita esse videntur a recentioribus [3]); itaque quid artifex voluerit, diiudicari vix potest.

Eandem scenam dat **vas Neapolitanum** alterum [4]), sed aliter tectum est magae caput; manu pateram tenet, e qua bibit draco. Iason barbatus orientali veste insignis vellus laeva manu demit arbori; dextra manu paratum tenet cultrum. Duo denique iuvenes pugnae intersunt.

Per multa saecula hoc argumentum valuisse in arte probat **gemma** [5]), quam aevo imperatorio recentiori tribuit Furtwängler. Hic quoque heros dracone a Medea sopito vellus aufert.

In **Sarcophagis** [6]) compluribus velleris raptus effictus est. In rupe stat arbor, in cuius ramis vellus pretiosum ser-

1) Antiche opere in plastica nr. 63, cui addi potest fragmentum apud Combe, descr. of anc. terracotta's 52.

2) Vid. Monumenti dell' Instituto V: 12.

3) Vid. Petersen, Arch. Zt. vol. XXXVII, p. 15 sqq.

4) Kat. d. Mus. naz. nr. 3248.

5) Furtwängler Antike Gemmen, tab. LXII, nr. 27.

6) Robert op. c. nr. 187, 188, 189, 190, 192.

vatur. Iason ascendit rupem mox deluso dracone pellem splendentem captaturus. Clipeo et galea (et in nr. 190 etiam gladio) instructus hic prodit, toto corpore nudus. Medea quae ab altera parte accedit, alibi tenet pomum (192) alibi virgam (188 et 188¹.) alibi pateram (190). Arborem modo memoratam Apollonius vocat φηγὸν ἀπειρεσίην [1]); hic artificem oleam voluisse, observat Robert, qui suo iure Apollonium (IV 156 sqq) huc attulit, cuius versus idem tractant argumentum.

Mire „dextrarum iunctio" Medeam inter et Iasonem quam hic invenimus nos afficit [2]). Prorsus Romanae sunt illae nuptiae; equestri ornatus est vestimento Iason; illa autem gerit flammeum et chitonem. Adstant Iuno pronuba et Amor arcum tenens. Cum tamen hoc opere res Corinthiae illustrentur „in engerm Anschlusse an die Medeia des Euripides" [3]) num hoc quoque pertineat ad nuptias modo notatas, valde dubito. Euripides enim nihil nos docet de nuptiis solemnibus, quae sintne inter Colchos celebratae an Iolci, an potius Corinthi, non liquet.

Singula certamina tractantes nondum indicavimus tres vel plures scenas in eodem opere saepe uno tenore inter se sequi. Quarum ordo hic esse solet: I tauri domantur. II vellus rapitur. III nuptiae Iasonis Medeaeque fiunt. Semel tantum (in imagine quam continet **codex Coburgensis** [4]) primo loco datur velleris raptus, secundo Iasonis cum tauris certamen. Talem ordinem quo velleris raptus antecedit certamen cum tauris fortasse casui debetur. Vero similius

1) A. Rh. IV, 123 sqq.

2) In sarcophagis 189, 189¹ et 194.

3) Ita Robert op. cit. p. 206 col. dextra.

4) Ex monumentis antiquis, quae in illo codice depicta sunt, hoc edidit Robert sub numero 189¹.

tamen est id ipsum antiquo mytho respondere; etenim recte animadvertisse videtur H. D. Müller [1]) dentes seri non potuisse neque sub iugum mitti tauros nisi prius interfecto draconi dentes essent evulsi. Sed enim haec fusius tractabo in ultimo opusculi capite; in praesens autem heroes nostros comitemur ad Peliam redeuntes. In mentem hic redeunt versus Euripidei [2])

Πελίαν τ'ἀπέκτειν᾽, ὥσπερ ἄλγιστον θανεῖν,
παίδων ὑπ᾽ αὐτοῦ, πάντα δ'ἐξεῖλον φόβον.

Peliae autem atroces casus minime neglexerunt artifices. Sic in **paterae Volscae** [3]) parte inferiore repugnantem patrem una ex filiabus bracchiis arripit, altera succincta expectat temporis articulum, quo gladium iam strictum patris iugulo admotura est; a senis tergo quasi meditans adstat mulier pectore seminudo. Hic repraesentari heroinam nostram veri est simile, neque equidem video, cur potius Medea dicenda [4]) sit illa, quae gladium prompserit. Necare patrem ipsae filiae constituerant [5]); Medea vero postquam dolose rem instruxit, nihil nisi herbas minime efficaces

---

1) H. D. Müller, Mythologie der Griechischen Stämme, II, p. 340.

2) Eur. Med., 486 sq.

3) Vid. Arch. Zt., vol. IV, tab. 40, ubi paterae imago expressa est ex Museo Gregoriano tom. II, tab. 82, 1*a*. Vulgo (sed false) patera significatur numero I: 82, 1. Error natus est inde, quod imaginis descriptio, sub numero 82, 1 non legitur in tom. II, ubi debebat, sed in tom. I, pag. 14, col. dextra. Quia autem duae huius operis extant editiones, praeter eam, quam inspexi (secundam) prioris numeros affero, quos benevolentiae et curae v. d. A. Klügmann debemus (Arch. Zt. XXXVII, p. 34 sqq.). In hac enim editione nostra notatur numero 86 in vol. II.

4) Ut vult Seeliger apud Roscher, II, 2506, 1.

5) Cf. Diod. Sic. IV, 52[1],2.

addidit. Quae autem fidem fecerat Peliadibus arietis recoctio, ea quoque nota fuit artifici, qui pateram Volscam illam pinxit: mulier ibi chitone talari induta arietem secum trahit; adsunt praeterea tres feminae, quarum una cylicem sublatam tenet, reliquae cistulas portant. Quis ex illis quattuor sit Colchis, quae Peliades non liquet.

Vix magis constat de superiore paterae imagine, ubi feminam velatam quae senem alloquitur, Gerhard [1]) pro Medea habet, Robert [2]) mavult esse unam ex Peliadibus.

Opus tectorium denique restat [3]) quod primus in lucem emisit Robert. Ibi ante oculos mirabundos trium Peliadum Medea artibus suis fungitur: sublato aeni operculo en exit agnulus! Ab altera parte accedit mulier statura procera et robusta; Medeam esse facile quispiam credat; corporis habitus superbus satis congruit cum illa figura, quam mox contemplabimur, ubi de infanticidio agemus. Robert, qui totam imaginem e Diodori loco (IV 50 sqq.) illustrat, mulierem, ad Medeam properantem dicit gaudio exultantem in patris domum introducere velle sacerdotem quo munere se fungi commenta erat barbara, ut maiorem sibi fidem haberent illae. Advocat autem Peliae filia modo memorata sorores suas; exclamasse eam Robert sibi fingit Diodori (IV 51) verba *„Πάρεστιν ἡ θεὸς εὐδαίμονα ποιήσουσα τὸν οἶκον τοῦ βασίλεως."*

Inter imagines enim quae Medeam exhibent, nulla magis huc pertinet quam quae conspicitur in **amphora Canossensi,**

---

1) Gerhard Auserl. Vas. III, p. 30, adn. 21.
2) Arch. Zt. vol. 32, p. 136, adn. 8.
3) Arch, Zt. vol. 32. tab. 13, cf. p. 134 sqq.

nunc **Monachii** servata [1]). Duo ibi imaginum ordines nobis ostendunt deinceps Creusae mortem [2]) et puerorum caedem. Adsunt, ut in tragoedia Graeca, Creon pater, Iason, paedogogus, nutrix etiam: videre ipsam Euripideam tragoediam nobis videmur. Ceterum, accuratius comparanti poetam et artificem apparet apud hunc multa deesse, quae adesse debebant; contra adsunt multa ab Euripide aliena, plura mutata sunt. Poeta tradit [3]) ipsum Creonta cum filia quam amplexu foveret una periisse; artifex intellexit quidem [4]), Creusae mortem et Creontis quippe quae temporis ordine distent distinendas esse, ideoque regiam filiam pinxit in solio collapsam, regem ipsum quo temporis puncto approperabat. Neque tamen verbo tenus scenam Euripideam illustravit. Versus enim 1169—1170 *μόλις φθάνει θρόνοισιν ἐμπεσοῦσα μὴ χαμαὶ πεσεῖν* flagitant, ut alia corporis statura Creusae sit atque hic depicta est. Quod ne memorassem quidem, nisi vir doctus Huddilston [5]) contrariam opinionem fovisset, quam his verbis explicat: „Rarely has a vasepainter come nearer to illustration than here". Imago autem dat Creusam in solio sedentem, quo momento in latus sinistrum delabitur; quae vero, ut est apud Euripidem, sede relicta per cubiculum ambulans subito accerrimo vexata dolore tremulo pede aegre attingit solium, ea tergum spectatori praebeat necesse est. Ergo

1) Vid. Furtwängler u. Reichhold, Griechische Vasenmalerei, II, p. 161 sqq, tab. 90.

2) Id vocem *ΚΡΕΟΝΤΕΙΑ* significare, non „Creontis domum" probant reliqua nomina simili modo personis supraposita.

3) Eur. Med. 1195 sqq.

4) Quod fugit Vogel, Scenen Euripideischer Tragödien in griech. Vasengem. p. 149.

5) Greek Tragedy in the light of vase-paintings, p. 150.

scenam hanc tam arte cum Euripide cohaerere nego. Sed haec in transitu dicta sunto.

Addit varias personas pictor: Hippotem, quem Diodorus [1]) vocat Creusae fratrem, patrem vero eius dicit Scholiasta ad Euripidis versum 20: prorsus tacet de eo ipse poeta. Quid ergo iudicandum de Roberti [2]) opinione, nempe artificem hic pro ingenio suo mutasse poetae argumenta, sed nihilominus repraesentasse scenam Euripideam? Ego quoque laudo ingenium pictoris; hoc tantum rogo explicet mihi vir clarissimus: quid significant nomina personarum in vasis obvia? Nihil aliud, opinor, nisi reicere spectatores artificem ad res notas — unde notas? E literis scilicet, sive sunt epicae sive tragicae sive comicae seu ex alio genere; sin minus nomina addita sensum non praebent. Hoc igitur si recte dictum est, omnino intellegere equidem non possum cur idem Robertus [3]) hanc amphoram utique ab Euripide pendere asseveret. Immo, summo iure Vogel [4]), rogato, quam ob rem Hippotem pinxerit artifex, auxilio properantem sorori miserae, sic sibi respondet: „Quia imaginis fons non erat Euripides." Huddilston [5]) vero, nimium Roberto addictus ille, roganti Vogelio respondet rogans ipse: „why did the vasepainter not paint another scene instead of the one he did?" Quae argumentandi ratio omni caret vi et vix seria est.

Sed videamus ceteras personas. Dextrorsum abit mulier trepidans. Famulam eam vocat Robert [6]), quae versu 1171 sqq. occurit: *τὶς γεραιὰ προςπόλων ἀνωλόλυξε*. Iasonem illa certi-

---

1) Diod. Sic. IV, 5515.
2) Robert, Bild und Lied, p. 37.
3) Op. cit., pag. cit.
4) Op. cit., pag. 149.
5) Op. cit., pag. 151, adn. 1.
6) Op. cit., pag. 38.

orem est factura de atroci Creusae [1]) morte, pariter atque versibus 1178 sq.:

ἡ δὲ πρὸς τὸν ἀρτίως πόσιν
φράσουσα νύμφης συμφοράς.

Nutrix vero, si, ut vult Robert, indicatur velamento capitis, aliquantum recessit artifex a poeta, confundens in unam personam nutricem (quae prologum dicit) et famulam istam. Ab altera parte regiam aedem intratura est matrona, vestitu, monili, armillis insignis; eodem horrore movetur atque Creon et eodem fere gestu staturaque repraesentatur, flexo genu laevo, dum dextra manus caput arripit. Merope audit. Quid tandem Euripidi cum Meropa? Nomen aliunde cognitum est: Sisyphi uxor fuit Merope [2]); eiusdem nominis erat Polybi uxor ex Oedipi mytho notissima [3]), sed neutra huc quadrat. Huddilston coniungere eam conatur cum Euripidis versibus 404 sq., ubi Medea se ipsa alloquitur:

οὐ γέλωτα δεῖ σ᾽ὀφλεῖν,
τοῖς Σισυφείοις τοῖσδ᾽ Ἰάσονος γάμοις.

Sisyphum enim regnasse Ephyrae, id est Corinthi; unde regiam gentem Sisypheam [4]) dici posse. Cum autem epitheton Sisypheum fere Corinthium valeat, cur tandem inde efficiamus Meropam quandam fuisse Creontis uxorem, de qua nusquam agit Euripides? Talem interpretandi rationem utique pravam censeo.

Aliam viam ingressus est Galli [5]) que Meropam suspicatur, pariter atque Aeetam, hic umbram esse, quae gentis

7) Brevitatis causa hoc nomine eam appello, quae apud Euripidem omnino caret nomine.

2) Apollodorus, Bibl. I: 9; 3, 1.

3) Soph. Oed. R. 775.

4) Cf. etiam, vs. 1381.

5) Op. c., p. 45.

suae excidium aspiciat. At quis in media imagine posuerit umbram, quae a vera muliere distingui nequeat? Longe alia est res cum Aeeta, qui (addita insuper voce *εἴδωλον*, quae illic deest) depingitur in margine imaginis, spectator scenae adstans: ex ipso Orco sublatum eum esse indicant nebulae in quibus stare videtur. Galli autem collatis Hecubae prologo et Persarum versibus 681 sqq, umbras a tragoedia non alienas esse ostendit. Haud obloquar. Sed in utraque tragoedia umbra vix aut ne vix quidem agendi particeps fit; neque Polydorus neque Darius summo discrimini se intermiscent. Quod utique facit Merope in nostra imagine.

Post Meropam senex barbatus accedit, quem retinere conatur puella, famula fortasse. Senex brevi pallio et chitone manicato vestitus, e lituo agnoscitur: est paedagogus, qui tamen pueros hic non secum ducit. Hos, quoniam in tertia amphorae zona depinguntur, iterare pictor supersedit.

Antequam infimam imaginum seriem describimus, mentio facienda est de cistula, cuius operculum apertum est. Pictor, cum reputaret dona venenata manibus portari a pueris non posse, ea in cista fuisse posita excogitavit. Id quoque Euripideum dicit Huddilston [1]). Sed ipse poeta oblitus est (vel non curavit) periculum per dona ista unicuique imminere, primum famulae [2]), mox ipsis pueris [3]), qui nudis manibus portent vestem et coronam [4]); de cista igitur nihil addit.

1) Op. c., p. 150.
2) Vs. 950 sq.
3) Vs. 956 sq.
4) Id ipsum voluisse poetam, v. Wilamowitz (Griechische Tragoedien übersetzt X) quoque opinatur, ut apparet ex adnotatione ad versum 956 („die Dienerin komt mit den beiden Stücken zurück"). Sarcophagi Romani, qui soli repraesentant hanc fabulae partem, semper et ubique dant pueros vestem coronamque nudis manibus ferentes. Cf. Robert, die Antiken Sarkophagreliefs, vol. II, tab. LXII—LXV

Acute Galli observavit [1], cistulam artiorem esse quam ut vestem et coronam continere possit; unde statuit, pictorem hanc solam venenatam sibi finxisse.

In infima imagine depicta est puerorum caedes, et Medeae fuga. Iam ut primum tractemus primariam personam: aspicimus eam orientali vestitu insignem, caput phrygio pileo tectum. In eo est, ut unum filium trucidet; capillis eum laeva manu arreptum stricto gladio adit; refugium quaesivisse videtur ille in ara, quae tamen impiam matrem non deterruit. Plura autem hac de re infra dicturi in transitu monemus, Corinthi famam viguisse de liberis Medeae in ipsa ara occisis [2]. Sed quoniam in nostra imagine Euripidis exemplum indagare nobis proposuimus, unum quaerendum est, fiatne mentio arae apud Euripidem. Sed nihil hac de re praebet poeta.

Alteri filio dum mortem intendit mater, alterum abducere conatur iuvenis, qui laevo bracchio pallium delapsum sustinens manu portat hastas duas. Hanc scenam qui aequus iudex explicat, confiteatur necesse est, iuvenem istum operam dare ut puerum crudelibus matris manibus eripiat. Ubi autem pictor talem scenam nobis praebet, quid voluit nisi salvum abiisse puerum? Non enim ea quae fieri possunt ostendit imago, sed ea quae fiunt.

Ergo si haec imaginis pars non refert Euripidem, quemnam refert? Diodorum [3]) in causam vocare [4]) inutile est; verba enim *πλὴν γὰρ ἑνὸς τοῦ διαφυγόντος τοὺς ἄλλους ὑιοὺς ἀποσφάξαι* de pluribus pueris dicta sunt, quod Huddilstonem quoque observasse video [5]).

1) Op. cit., p. 47.

2) Vid. Parmeniscus in Schol. ad Eur. Med. 264.

3) Diod. S., IV 54, 7.

4) Quod fecit Vogel op. c. 150.

5) Op. c. p. 162.

Fugam quoque Medea repraesentavit noster: videmus duobus draconibus iunctum currum, in quo stat ipse Furor [1]) (*ΟΙΣΤΡΟΣ* superscriptum est) utraque manu tenens facem; quem deum pariter atque Lyssam a Polluce [2]) docti novimus haud alienum esse a tragoedia Attica. Quodsi hanc personam non ab artifice inventam credere debemus, Euripides certe fons ei non fuit. A dextra advolat Iason, qui modo nuntium de Creusae morte audivit. Retinere eum vel impetum eius sedare conatur iuvenis; hunc quoque frustra quaerimus apud Euripidem.

Abundat, sic fere Robert [3]), abundat nostra imago novis argumentis, personisque ab Euripide alienis, attamen scena, quam nobis praebet, vere Euripidea est, neque exemplo fuit artifici opus posteuripideum. Quia autem praecipuum Medeae fontem Euripidem habemus, omnem lapidem movet Robert ut ad illum referat quaecumque ex illo mytho sub oculos venerunt. Si quae nimium abhorrent a poeta, artifex dicendus est pro suo ingenio res mutasse. Nae, ipsam Aeetae umbram Robertus quasi extorquet e versu 31: *αὐτὴ πρὸς αὑτὴν πατέρ' ἀποιμώζει φίλον*, quem sic interpretatur: mortuum eum deflet. Ingeniose inventum id est, sed veri similius duco, cum viris doctissimis Jahn [4]) et Dilthey [5]) tragoediae posteuripideae adscribendam hanc personam, quales saepius in theatris saeculi quarti prodiisse dicuntur. Praeterea versus 502, quo anxie maritum rogat

---

1) Nullo loco in clariore luce nobis ante oculos ponitur Furor ille quam apud Senecam, Med. 13 sqq.: nunc nunc adeste sceleris ultrices deae Crinem solutis squalidae serpentibus atram cruentis manibus amplexae facem.

2) Pollux IV, § 142.

3) Op. cit., p. 37.

4) Arch. Ztg., vol. 5, p. 39.

5) Arch. Ztg., vol. 32, p. 71.

Medea, num forte ad *πατρὸς δόμους* sibi sit redeundum, vim suam amittit, si iam mortuus est Aeetes.

Omnino, quamquam artifex videtur non fuisse „an independent artist" qualem vocat Huddilston [1]), tamen bene solvisse eum unam et alteram dispositionis difficultatem et arte sua eum sat bene functum libenter agnoscimus. Nam intra tantulum ambitum coercere totum fere Argonautarum mythum, id non cuiusvis est.

Argonautarum expeditionem ostendit zona superior, quae Herculem praebet et Dioscuros. Herculi enim mandaverant expeditionis imperium Argonautae, quod tamen abnuerat [2]). Dioscuri semper inter socios nominantur [3]). Neque deest Minerva, quam imprimis favisse expeditioni notum est.

Crater Neapolitanus [4]) repertus in pago Pomarico, praebet Creusam de sede delapsam. Quamquam nomen non est additum, argumentum clare indicant senex auxilio veniens, et cistula, qua funesta dona condita fuisse videntur. Furia alata, secundum Galli [5]), monet spectatorem versus euripidei 1260. Obstat tamen, quod tam placida atque tranquilla sedet dea, quali Medeam incitari ad scelus difficile est ad credendum. Quae post Creontem adspicitur mulier, ea videtur abire ut tristem casum Iasoni narret. Haec imago, ut totum Euripideae fabulae argumentum non praebeat, tamen cum poeta magis concordat quam vas Canossense.

Uno tamen loco a tragoedia discrepant imaginis delineamenta. Paedagogus datur ambos pueros secum abducens,

1) Op. c., p. 153.
2) Apollonius Rh. I, 345.
3) Pind. Pyth. VI, 172.
4) Vid. Huddilston, op. cit., p. 168, imago 24.
5) Op. c., p. 49.

et anxie detorquens oculos versus Creusam; sic indicatur, aut incolumes mansisse pueros, aut certe ut incolumes abirent operam dedisse paedagogum, quod sane in pictura eodem redit. Neutra versio consentit cum Euripide.

Infanticidium iterum habemus in **amphora Nolana** [1]. Cuius imaginem cum contemplarer denuo mecum reputabam quatenus poetam imitari posset artifex. Sic autem statuebam, iusto accuratiorem fuisse qui perhiberet [2], cum apud poetam uterque puer effugere matris gladium conetur [3], amphorae imaginem ideo non congruere cum poetae verbis, quod in illa unus iam filius mortuus sit, alterum petat mater. Ergone ambos uno eodemque ictu caesos esse Euripides voluit? Profecto vasculi pictor ab iis quae poeta paucis tantummodo versibus attigit non recessisse dicendus est, si imagine sua indicarit alterum iam iugulatum esse, alterum proximam exspectare mortem.

Imaginis scena in templo versari videtur; nam e pariete pendent velamenta, quibus in sacris faciendis utebantur antiqui; etiam secundum antiquissimos historicos [4]) infanticidium, vel quae teste Galli [5]) idem valet liberorum occultatio, in templo facta est.

Eadem scena denique conspicitur in **amphora Cumaea** [6]), nisi quod unus tantum puer adest. In columna quae stat figura nuda, ramum manu tenens, sitne Bacchus an Apollo dubitat Jahn. Equidem non infitior saepius effictos esse deos in summa stantes columna; sed quia

---

1) Arch. Zt. vol. 19, p. 60, cf. Huddilston op. c., p. 170.
2) Ita Galli, op. c., p. 50.
3) Vs. 1271 sqq.
4) Vid. Pausanias II: 3, 11, de Eumelo et Schol. Eur. Med. 264 de Parmenisco.
5) p. 9.
6) Arch. Zt., vol. 19, tab. 223.

hic columnae forma insolita est, ita ut de ara quoque cogitare possimus equidem non absurdam puto suspicionem hic non repraesentari deum, sed alterum puerum qui supplex ad aram confugerit.

Amphora Canossensis-Neapolitana [1]) Medeae fugam praebet; ipsa in curru stat quem insequuntur doryphori duo et eques qui Iason esse videtur. Ante currum mulierem videmus „in costume amazzonico", cui nomen Lyssae vel Nemesis Furiaeve tribuit Galli [2]). Quam a dextra aspicimus equitantem personam, ea pro Luna haberi solet.

Euripides autem, quod recte observavit Galli [3]) Huddilstonio oblocutus [4]), non memorat lasona Medeam longius persecutum esse, ut hic fingitur. Praeterea non curru iuncto draconibus vehebatur per terram apud poetam nostrum, sed in ipso Solis curru avolabat barbara. Cum Euripides Medeae currum Solis proprium dixisset cumque ceteri fere omnes scriptores dracones subiunctos aut dicant aut pingant, Ovidius [5]) contaminasse videtur utramque versionem quippe qui loquatur de draconibus Titaniacis.

Nusquam monumenti alicuius singulae partes tam arte cohaerent cum fabula Euripidea quam in **sarcophagis** illis **Romanis**, quorum aliquot iam tractavimus. Ubi autem reputaverimus alteri post Christum saeculo ista opera a Roberto tribui, negandum non erit Atticam tragoediam, quam toties frustra in artis reliquiis reperire studuerint cum ille tum alii, hic certe regnasse per multa saecula.

Nam fieri quidem potuit ut sculptoris animo obversa

---

1) Arch. Ztg., vol. 19, tab. 223.
2) Op. c., p. 51.
3) Op. c., p. 51.
4) Op. c., p. 170.
5) Met. VII, 398.

rentur potius Latini [1]) versus quam Graeci, sed cum ipsos Latinos (Senecam praesertim) secutos esse Euripidem constet, hic quoque Graeca posteris tradidisse Romani iure dici possunt; id quod iam pluribus argumentis mihi persequendum est.

In sarcophagis haud paucis [2]), qui fere inter se similes sunt Medea occurrit, gladium tenens quo mox ipsa filios qui ignari adstant [3]) interfectura est. Neque deest nuptiarum imago quibus perfidus Iason iungitur cum Creusa [4]); inter hunc et nuptam velatam stat pronuba Iuno. Heros, aliter atque in prioribus nuptiis Iasonis ubi manum iniungit nuptae, e patera umbilicata libat latices in aram ardentem. Camillus parvus corbem pomis repletam porrigit ei.

Maiore iure scenas, quae sequuntur quatuor [5]), ab Euripide mutuatum esse artificem dixeris. Pueri enim dona venenata hic quoque portant ad regis filiam; alterius manus gravat vestis, alterius corona.

In eo opere quod numero 196 indicatur Creusa, quae in cathedra sedet parum videtur leniri a pueris, quos ne intuetur quidem; id quod maxime Euripideum est, ut probant haecce [6]):

λεύκην ἀπέστρεψ' ἔμπαλιν παρηίδα,
παίδων μυσαχθεῖσ' εἰσόδους·

Item adest Iason, qui a poeta describitur, ubi

ὀργάς τ' ἀφῄρει καὶ χόλον νεάνιδος [7]).

---

1) More suo id reicit Robert; vid. op. cit., p. 208 col. laeva.

2) Op. cit. nr. 194—196, 199—201, 203.

3) In nr. 194 pila ludunt, cum iam strinxerit gladium mater.

4) Op. cit. nr. 190[1] et 194.

5) Numeris notatas 194—196, 200—201; paucis exceptis rebus singulae idem dant argumentum.

6) Vs. 1144 sqq.

7) Vs. 1150.

Deinde haec opera tristem Creusae casum[1]) δραματικῶς πάνυ exhibent. Fertur illa ad solium, quod tantum non attingit; sponte menti nostrae obversantur versus Euripidei[2])

> καὶ μόλις φθάνει
> θρόνοισιν ἐμπεσοῦσα μὴ χαμαὶ πεσεῖν.

Iam ardent capilli; resupina facie, porrecto bracchio laevo, illa malum effugere conatur, cuius nullum est remedium. Post eam videmus regem, qui dextra caput suum arripit, dum miserrimae filiae auxilio properat. Quod Iason adest a tergo regis, id unum cum Euripide pugnat. Sed longe plurima optime quadrant in Medeam fabulam, qualem actam nobis fingere possumus.

Idem valet de Medeae fuga in draconum curru. Non Furor quidam (ut in vase Canossensi-Monacensi) loras tenet, sed auriga ipsa avolat maga. Corpora mortuorum[3]) secum aufert, quorum alterum iacet in curru, alterum humero portat mater barbara.

Interdum in sarcophagis nostris singulae res adeo coartatae sunt, ut paene conturbentur. Sic in numero 196, ex Roberti opere, Medeae gladium, quo mox occisura est pueros, ferire putaveris Creusam ardentem; tamen exiguum illud spatium inter utramque figuram implent pueri ludentes!

Ipsam liberorum caedem, quam toties depinxerunt vasculorum pictores, omisit caelator Romanus. Solum opus **Massiliense**[4]) memorandum est, quia matrem praebet ferrum stringentem in puerorum perniciem qui supplices ante eius pedes se prosternunt.

---

1) Op. c., nr. 194—196, 199—201.
2) Vs. 1169 sq.
3) Quae nusquam luculentius apparent quam in numeris 199 et 201.
4) Nr. 203 apud Robert.

In Museo Arlesiano [1]) **statua** exstat Medeae, quae in eo est, ut pueros trucidet qui ab utraque parte ei supplicant genuis flexis.

Sculptorem hic reddere voluisse dramatis Euripidei scenam [2]) putat Galli [3]), credebat etiam Dilthey. Sed, quantum e paucis puerorum verbis effici potest (vs. 1271 *αἰαῖ, αἰαῖ*, mox *ποῖ φύγω μητρὸς χέρας;*) non pueriliter apud poetam ut in monumento notato matris auxilium petunt contra matrem, sed trepidi abire conantur. Nisi praestat sumere proximum temporis momentum repraesentari, quo Colchis iam consecuta est filios suos, qui in summo discrimine manibus desperatis matris vestimento tegere se temptant. Hac cum scena enim haud absurde contuleris Euripidis versum 1278: *ὡς ἐγγὺς ἤδη γ' ἐσμὲν ἀρκύων ξίφους.*

Subsimili modo inter se iunctae sunt matris puerorumque figurae in monumento **Aquinci** servato [4]), cui nimis dubitans Reinach signum interrogativum subiunxit. Paululum hinc discrepat compositio in lapide **Aquinceno** [5]), ubi pueri non seorsum adstant, sed alter alterius humero adnititur. E parva imagine depicta non elucet, requiescantne illi *ἐκ τρόχων πεπαυμένοι* an anxii refugium quaerant mutuo amplexu. Mater eadem fere statura eodemque vestitu effìcta est atque in opere tectorio Herculanensi, quod infra tractabitur.

E materie quae vocatur hodie „**terra cotta**" duae supersunt figurae, quae quidem huc faciunt, fere inter se similes. Quarum altera in Museo Neapolitano [6]) servatur, altera in

1) Cf. Arch. Ztg. vol. 33, tab. 8, 2.
2) Vs. 1271 sqq.
3) p. 65.
4) Vid. S. Reinach, Répertoire de la statuaire Grecque et Romaine, tom II, p. 812 n. 7.
5) Vid. Reinach op. cit. tom. III, p. 145 nr. 5.
6) N. Invent. 20337.

Museo Berolinensi [1]. Quorum operum quoniam imagines [2] (ipsa opera inspicere mihi non licuit) satis obscurae sunt, ad aliorum qui hac in re feliciores fuerunt descriptiones confugiendum mihi est. Colchis hic repraesentatur Phrygio insignis velamento, sedens in curru serpentibus instructo. Puerorum corpora frustra hic quaerimus; neque gladium manu tenet mater. Unde Galli [3] censet non de Medea parricida hic agi, sed figulum dare voluisse eam, quae artibus suis magicis fungens per aera vehatur. Talem enim novimus eam ex Ovidii Metamorphosesin [4], ut de ceteris taceam.

In Körtii denique opere, c. t. „I rilievi delle urne etrusche" [5] Colchis curru alato avehitur; pueros modo occisos draconum spiris circumvolutos videmus. Utrimque adest figura altero genu flexo ita ut quae a dextra conspicitur eius quae ad laevam est compar esse videatur. Vestitu tamen inter se differunt; laeva figura nuda est nisi quod pallio tergum tegitur; altera vero bracca Asiatica insignis est atque cucullo. Illam Iasonem vocare possumus, hanc paedagogum.

Gemmae aliquot in eodem argumento versantur. In illis modo ante caedem patratam datur Medea [6], semel cum uno tantum filio [7], semel coram ambobus filiis ludentibus [8], modo mortuum puerum bracchio sustinens [9].

Imagines murales quae Medeam exhibent, omnes depin-

1) Kekulé Terrac. v. Sicil., p. 21.
2) Vid. e. g. Galli op. c., tab. nr. 3.
3) Op. c. p. 66.
4) Ov. Met. VII, 398.
5) Vol. II, tab. I, 2; cf. p. 5.
6) Furtwängler, Die antiken Gemmen, tab. 24, 43.
7) Cf. Imago in pag. 32.
8) Ibid., tab. 37, 42 et 44.
9) Ibid., tab. 37, 42.

gunt ipsum momentum, quod proxime antecedit puerorum mortem. Inter quas facile excellit ea quae Herculani reperta est [1]). Hic tandem habemus tragicam feminam, matrem misericordia nostra dignissimam, quam frustra per tot vasculorum imagines quaesivimus; hic Euripideam Medeam reperimus, qualem e celeberrimo soliloquio notam habemus.

„Negli occhi della Medea ercolanese noi leggiamo il furore incoercibile della vendetta mitigato dalla espressione vivace e quasi tragica del più profondo dolore". Ita optime singularem operis artem laudat Galli [2]). Dubitans adstat illa, certat mater cum uxore repulsa; suspensum animum pulcherrime ostendit vultus; ipsae manus, quae gladii capulum amplectuntur tanta admiratione movent spectatorem ut nulli nisi artifici summo ingenio praedito hanc picturam tribuendam iure censeat

Timomachi autem praeclari pictoris nomen cum hoc opere coniungi solere, nemo mirabitur qui harum rerum non plane ignarus est. Quis vero fuerit Timomachus ille quibusve temporibus floruerit, ea intricatior est quaestio quam ut a me diudicari possit. Sed eorum quae de hac re disputavit Robert [3]) summa huc fere redit. Plinii Maioris loci [4]) aperte dicunt Timomachum Byzantinum, Caesaris aequalem, Medeam pinxisse, quam dictator emerit atque in templo Veneris Genetricis dicaverit. Augustei autem aevi et poetae et artifices haud semper Graeca exempla serviliter adhibuerunt, sed saepius suo usi sunt ingenio, quod post studia acutissime et diligentissime in Pompeianis thesauris a

1) Hermann, op. c., tab. 7.
2) Op. cit., p. 54, cf. p. 53, vid. etiam Lessing, Laokoon, Cap. III.
3) Robert, Archaeologische Maerchen aus alter und neuer Zeit, p. 132 sqq.
4) Plin. N. H. VII, 126, XXXV, 136, XXX, 145, cf. XXXV, 26.

viro docto Mau posita nemo addubitare amplius debebat.

Hoc ergo constat, Timomachum pinxisse Medeae imaginem quae multorum laudem sit assecuta. Nostra imago autem „wird auf die berühmte Schöpfung des Timomachos zurückgeführt".

Ita Hermann [1]), quo audacius Helbig [2]): „Wahrscheinlich geht dieses Bild auf ein Original des Timomachos zurück.".

Veri est simile, non tamen certum. Quod certum vero est: optimum artis opus, opus vere „classicum" hic habemus; quod tamen non integrum servatum esse graviter dolendum est. Ingeniosissime enim Donner [3]) indicavit quamquam una Medeae figura supersit, tamen vestigia quaedam (levissima quidem) superesse e quibus totam imaginem maioris ambitus quondam fuisse satis appareat. Quoniam autem in alio quodam opere tectorio [4]) eadem statura qua hic depicta est maga, cum praeter eam adsint pueri talis ludentes et paedagogus, non nimis audacter ad Herculanensem imaginem illustrandam afferre possumus istas figuras.

Sequitur quod memorandum est aliud eiusdem argumenti opus [5]); sed adeo ibi obscurae sunt figurae, ut explicari non potuissent, nisi adiuvante imagine praecedenti.

Habemus praeterea in Hermanni opere [6]) iam supra allato consimile argumentum, quod ex Ovidio petivisse artificem suspicatus est Galli [7]), laudatis Ovidianae epistulae duodecimae versibus hisce [8]):

1) Op. cit., p. 95.
2) Wandgemälde Campaniens, nr. 1262 et 1264.
3) In eodem opere, Einl. LXXIX.
4) Helbig, op. c., nr. 1262; expressa est imago apud Roscher II, 2511.
5) Helbig, nr. 1263; cf. etiam Hermann, op. cit., p. 96, adn. 4.
6) Op. cit., tab. 73.
7) Op. cit., p. 56.
8) Ov. Heroid. XII, 147—152.

„Me quoque, quidquid erat, potius nescire iuvabat:
Sed tamquam scirem, mens mea tristis erat.
Cum minor e pueris lusus studioque [1]) videndi
Constitit ad geminae limina prima foris....
„Hinc mihi, mater, abi! pompam pater," inquit, „Iason
Ducit, et adiunctos aureus urguet equos."

Alter igitur puer, auctore poeta ad fores constitit et matrem facit certiorem accedere pompam. In imagine vero aliter res se habent. Extra domum versantur mater et pueri, quod ostendit paedagogus in recessu e fenestra despiciens. Alter puer cossim sedet, alter properans discedit ab illo, ad matrem fortasse. Nec tamen eam adspicit, sed quantum ex imagine parum perspicua efficere possumus, credendum est eum intueri fratrem. Haud tamen „ad limina foris" constitit, ut volebat Galli [2]). Si quis autem cum poeta aliquo comparare hanc imaginem cupit, afferat Apollonii potius locum [3]) (quamquam cum Corinthiis Medeae casibus nihil commune habet), ubi Venus Cupidinem auxilio vocat. Invenit eum ludentem cum Ganymede: cupidus lucrum suum contra pectus premit; alter puerulus demisso animo (quippe qui ludo superatus sit) cossim sedet procul. Sed nolo insistere in hac comparatione; unum dico: qui pictor ad Rhodii exemplum ludentes pueros dare volebat, utique eos poterat pingere, quales hic cernuntur. Si quis vero Ovidium sequi sibi proposuerat, altero puero opus non erat, sed imprimis pictor ostendere debebat appropinquare Iasonem cum nova nupta.

Modo, cum mentionem de Timomacho facerem, citavi

---

1) „casu studione" hic legendum esse eleganter coniecit Heinsius.
2) Op. c., p. 57.
3) Ap. Rh. III, 115—127.

Robertum laudantem eum quo nemo diligentius et acutius Pompeianis rebus incubuit, Augustum Mau volo. Quibus laudibus ego non is sum, qui vel minimum obtrectem. Non tamen ab omni parte mihi persuasit ille contendens [1]) Pompeianas picturas plerasque Graecis exemplis carere; summo enim iure novissimus imaginum muralium editor Hermann in nostra imagine unam certe rem a Romanis pictoribus inventam esse negavit. Etenim puerorum capilli, quales hic a vertice formae capitis se applicant, ab auribus inde subito calamistris se convertuntur, et revolvunt raro vel nunquam occurrunt in artis Romanae operibus, sed saepius in Tanagraeis statuis conspici solent. Iam igitur una hac ratione apparet Graecos haud praeteriisse nostrum pictorem. Aut ipsum ergo aut exemplum eius Graecum fuisse censet Hermann [2]). Cuius de Graeco illo capillorum componendorum more observationem confirmare potui inspectis figuris Cupidinum quae in Museo Antiquario Lugdunensi [3]) servantur; ibi revera in eundem modum crines sunt compositi.

Alterius imaginis fragmentum [4]) dat Medeam sedentem eadem statura qua in opere modo tractato. Figurae deest caput; gladii vagina ad laevum humerum adnititur. Num ipsos quoque pueros depinxerit artifex non liquet.

Denique mentionem fecit Helbig [5]) de imagine quadam Pompeiana [6]), quae tragicam haud dubie praebet scenam.

1) Bull. d. I. 1880: 76.
2) Op. c., p. 95.
3) Vid. Janssen, Grieksche, Romeinsche en Etrurische monumenten van het Museum van Oudheden te Leiden. II, nr. 315. Invent. S. v. L. 398, L. K. A. 1166. cf. Janssen, ib. nr. 63.
4) Hermann, op. c. t. 74.
5) Ann. d. I. 1881, p. 145 sqq.
6) Monumenti inediti XI, tab. 31.

Medea gladio stricto adoritur pueros ambos, quos paedagogus contra matrem defendere vult. Etenim quasi ad tutandos illos dextram alterius capiti imponit, dum in alterius humero laevam demittit. Scenam actam pictor reddere studuit; persona enim tragica instructa est Medea, item paedagogus. (Puerorum figurae obscuriores sunt quam ut accuratius describi possint.) Euripidea vero tragoedia huius imaginis fons esse nequit, non quod, ut perhibet Helbig [1]), Euripides infanticidium ipsis spectatoribus non obtulerit (quidni res a nuntio vel famulo relatas imitatus sit artifex?) sed quia Medea Euripidea filios suos necavit, cum ceteri omnes abessent; ne paedagogus quidem adfuit, qui ideo dimittitur a domina [2]), ne consilia eius dolosa perturbentur [3]).

Ex artis Graecae et Romanae monumentis haec sunt praecipua de quibus ad Medeae mythum pertinentibus mihi in hoc capite agendum esse arbitrabar; neque hic me nihil aliis reliquisse quod addant emendentque vix est quod moneam.

---

1) A. d. I. 1881, p. 146 sq.

2) Versu 1020.

3) Ceterum suspicari quidem possumus quae non accurate indicavit poeta. Qui, ultimum ante caedem mentione facta de pueris (versibus 1157 sq.), cum Iasone eos tunc fuisse docet. Unde cur in barbarae manus venerint, non intellegimus nisi per Iasonis (an poetae?) socordiam.

CAPUT III.

Quinam scriptores artificesve exemplo fuerint Medeae Euripideae.

Vidimus quibus modis poetae et artifices posteuripidei tractaverint exemplum Graecum. Ut vero antiquiora mythi vestigia scrutari possimus, nunc necesse est ut in ipsos quibus usus est Euripides fontes inquiramus. Ad quam rem qui pertinent antiquiorum scriptorum locos dudum collegit Pyl [1]) et digessit, recensendi negotio aliis relicto.

Homerus non multa nobis suppeditat; paucissimas continet ille nostri mythi reliquias; Medea nusquam memoratur, Iason autem Eunei pater audit matre Hypsipyla [2]), Argonautarum vero dux significatur unico loco *μ* 72, ubi Circe inter maxima pericula enumerat montes quos incolumis pervecta est *'Αργὼ πᾶσι μέλουσα, παρ' Αἰήταο πλέουσα.* Atque etiam illa navis periisset, nisi Iuno eam praetermisisset, *ἐπεὶ φίλος ἦεν 'Ιήσων.*

Cognita ergo fuit Homero Argonautarum expeditio, Aeeta

1) Zeitschrift f. d. Alterthums-wissenschaft 1854, p. 405 sqq.

2) H. 469 *Ψ* 747; idem vult *Φ* 41. cf. etiam Hypsipylae Euripideae fragmenta in Oxyrh. Pap. vol. VI, p. 71. Seorsum illa fragmenta edidit Herwerdenus nostras; vid., p. 44, vs. 95.

quoque ὀλοόφρων (κ 137, μ 70) notus, item Pelias et Iason in Odyssea prodeunt [1]). Sed tacent carmina epica de vellere aureo, tacent de Apsyrti Peliaeve morte et de rebus Corinthiis.

Plura vix praebet **Hesiodus**, in cuius Theogonia [2]) Aeetae Idyiaeque filia dicitur Medea ἐύσφυρος [3]). Dicitur illam abduxisse Aesonides postquam labores gravissimos a Pelia iussus perfecit. Quo erga eos animo fuerit Aeeta, non indicatur; at deprendimus certe apud Hesiodum aliquam mythi partem, quam Euripides adhibere potuit.

E **Nostis** hoc fragmentum [4]) accuratius perlegendum est:

> *αὐτίκα δ' Αἴσονα θῆκε φίλον κόρον ἡβώοντα*
> *γῆρας ἀποξύσασα ἰδυίῃσι πραπίδεσσι,*
> *φάρμακα πόλλ' ἕψουσ' ἐπὶ χρυσείοισι λέβησιν.*

Primum huius fragmenti versum cum vertere conarer, haerebam in voce φίλον, quam „carum” vel „suum” valere in carminibus epicis non nesciebam; sed, num Medea (illam enim totius enuntiati „subiectum” esse docent versus 2 et 3) socerum recte φίλον diceret, dubitabam. Hoc enim adiectivo significari solet id quod revera suum quispiam dicere possit, ut corpus, animum [5]), praeterea usurpatur de iis personis, quae sanguinis necessitudine cum aliquo coniunctae sunt: pater, mater, liberi [6]). De socero vero minus apte adhibitum illud adiectivum mihi videtur. Quod, sive eodem

---

1) λ 256 sq.

2) Vs. 958 sqq.

3) Ex hoc epitheto Seeliger (Roscher II 2484, 2 sqq. Medeam olim optimae frugis fuisse virginem, effecit audacius quam verius. Pulchritudinis epitheton non sufficit ad indicandam indolem probam.

4) Servatum in Medeae Euripideae Argumento.

5) Γ 209, Ν 713, Λ 407.

6) Χ 408, Ι 555, β 17.

quo ego modo statuit, sive alia quadam ductus ratione, Pyl [1]) sic versum vertit: „schleunigst machte sie Aison zum lieblich blühenden Jüngling". At sic „formosum" vel „venustum" quidem habemus iuvenem, haud tamen *φίλον*. Sed idem Medeae Euripideae Argumentum quo versus laudati servati sunt [2]) refert, Pherecydem et Simonidem tradidisse *ὡς ἡ Μήδεια ἀνεψήσασα τὸν Ἰάσονα νέον ποιήσειε.* Iasonem ergo si soceri loco substituimus legentes *αὐτίκ' Ἰάσονα κτέ* omnia bene procedunt et perspicua fiunt verba Graeca. Nam *φίλον* i. e. suum vocasse Medeam maritum suum (cuius perfidiam non noverant antiquiores) haud absurdum videtur.

Cur tamen, ita rogarit lector attentus, Iasonem qui senex nunquam prodit recoquere opus erat? Respondet hydria in Museo Britannico [3]) servata, quae quam maxime huc facit. Senex ibi heros (addito nomine) aspicit arietem ex aeno exsilientem, cui per artes Medeae (quae et ipsa nomine notata est) anni sunt dempti. Iasonis igitur recoctionem ab antiquo mytho non alienam fuisse non nimis audax est coniectura [4]).

Sed tempus est ut ad Bachiadam **Eumelum** me vertam, quo auctore Euripidem Colchida *τεκνοκτόνον* finxisse sunt qui arbitrentur. Quod sitne verum necne tum demum apparebit, cum caute perpenderimus, quid significent Pausaniae verba ex Eumelo hausta [5]).

Pausanias enim ubi in libro secundo memorat Glaucae fontem et monumentum in puerorum Medeae memoriam

1) Zeitschr. f. d. Alt. W. 1854, p. 407.
2) Cf. Schol. Ar. Equitt. 1321.
3) Brit. Mus. Cat. of Greek vases, nr. 717. cf. Arch. Zt. Vol. IV, p. 287.
4) Cf. etiam Lycophr. vs. 1315 c. Schol.
5) Paus. II: 1, 1 et II: 3, 10 sq.

erectum cum alias addit mythi versiones tum Eumeli verba haecce: Solem deum Asopiae regnum tradidisse Aloeo, Aeetae vero Ephyraeam; Aeetam ad Colchos proficiscentem Buno dedisse dominationem [1]), illi successisse Epopeum Aloei filium; postea cum Corinthus Marathonis filius sine liberis decessisset, cives Iolco arcessivisse Medeam [2]).

Haec fere in Eumeli opere lecta fuisse sumere licet; sed de Eumeli auctoritate non plane nobis constat. Collegit enim Periegeta quicquid ad Medeae casus pertinebat, ut ipsum Libri secundi caput alterum probat. Primo, cum tractet ea de quibus communis opinio constare ei videtur, auctores suos memorare supersedet [3]); deinde sub variorum nominibus tradit ea quae plus minusve a praecedentibus discrepant: Hellanicum citat, tum Cinaethona, Eumelum denique. In fine demum totius narrationis quasi cunctis quos attulit scriptoribus comprehensis dicit: *τάδε μὲν οὕτως ἔχοντα ἐπελεξάμην* Quod qua diligentia fecerit diiudicare non ausim; ipsum Eumelum eum inspexisse negat v. d. Wilisch [4]).

Sed quaeramus quid omnino Eumelus ille poetae Atheniensi tradiderit. Reginam quidem quod Medeam vocat Eumelus [5]), iam vidimus eodem titulo ornari eam apud Ovidium et Valerium; regnasse eam vero Corinthi, hoc ab Euripide quam maxime alienum. Sed totus locus qualis traditur obscurior est quam ut statim intellegi possit. Corintho mortuo,

---

1) Haec ex ipso quoque Eumelo cognosci possunt, e cuius carmine octo versus servavit Scholiasta ad Pind. Ol. XIII, 74 f.

2) Quo mox revertit, ut tradit Pausanias paulo inferius. Unde efficio Eumelo non innotuisse Peliae caedem; etenim si Pelia occiso Iolco profugissent quomodo redux Medea incolumis mansisset?

3) Paus. II: 3,6 *ὡς λέγουσι* et mox *λέγονται*.

4) Ueber die Fragmente des Epikers Eumelos p. 4 sqq.

5) Paus II: 3, 10.

ita iam audivimus, cives quia successor deerat Medeam Iolco arcessiverunt, cui regnum traderent: Iason autem δι' αὐτὴν Corinthi regnabat.

Primo: cur peregrinam Corinthii mulierem in suum traxerunt regnum? Nisi quis Corinthiis regibus oriundam censet eam, quod a Pausania non disertis verbis dicitur [1]). Non enim Medea hic Aeetae filia audit; et quoniam in Corinthiorum tyrannis ab Eumelo enumeratis tres minimum [2]) intersunt inter hanc et Aeetam, sanguinis necessitudinem, qualem posteri notam haberent, Eumelum non significasse pro certo habemus. Deinde quare Corinthii regno Medeae tradito mox sinunt Iasonem eius loco regnare?

Sed etiam maiora nos manent, quibus responderi ita ut quod rogetur nihil relinquatur, vix et ne vix quidem potest. Simul autem (quod maximi momenti nobis est) post longas ambages revertimus ad quaestionem, quatenus Medea parricida ipsius Euripidis inventum vocanda sit. Fuerunt qui Eumeli verba (quemadmodum ea rettulit Pausanias [3]) Μηδείᾳ (δὲ) παῖδας μὲν γίνεσθαι, τὸ δὲ ἀεὶ τικτόμενον κατακρύπτειν αὐτὸ ἐς τὸ ἱερὸν φέρουσαν τῆς Ἥρας, κατακρύπτειν δὲ ἀθανάτους ἔσεσθαι νομίζουσαν· ita interpretarentur quasi mater occidisset et recoxisset puerulos.

Neque verba, quae hucusque descripsi talem interpretationem respuunt. At quae sequuntur τέλος δὲ αὐτήν τε μαθεῖν ὡς ἡμαρτήκοι τῆς ἐλπίδος, i. e. „tandem vero spe frustratam se esse comperit," haec eodem pertinere nequeunt.

---

1) Ibidem.

2) Si regum seriem e Pausaniae loco II, 3, 10 implere licet e Capite I: 1 quinta ab Aeeta est Medea.

3) Paus. II: 3, 11.

Nam si illud *κατακρύπτειν* [1]) idem esset quod interficere, iam de primo infante periculo facto Medea statim animadvertisset in vitam non redire puerum. Quodsi plus semel, ut e contextu apparet [2]), hoc tentavit mater, cur *τέλος δὲ* erroris sui conscia facta sit non elucet. Sed ne sic quidem omnes abierunt nebulae. Quid enim? Non solum spe delusam esse Colchidem, sed *ὑπὸ τοῦ Ἰάσονος φωραθεῖσαν* refert Eumelus. „Ma in quale atto vien sorpresa Medea dal marito?" omni iure rogat Galli [3]). Ad quam *ἀπορίαν* solvendam affert locum ex Apollodori Bibliotheca [4]) ubi dicitur Thetis nocte infantem Achillem in aeno occultasse, Peleum vero conspecto filio clamorem edidisse, unde irrita res facta sit. Alterum vir doctus affert locum ex Hymno in Cererem [5]), de Demophoonte quem eodem modo Ceres immortalem factura fuisse dicitur nisi mater Metanira importune advenisset.

In transitu moneo deam semper esse quae immortales reddere valeat homines, modo Cererem modo Thetida; inde nostram quoque heroinam quippe quae teste Eumelo eiusdem rei auctor fuerit inter coelites referendam esse. Sed hac de re in fine opusculi acturi nunc pauca addamus ad ea quae de locis modo allatis observavit Galli. Etenim Pausaniae vel Eumeli verba *τέλος δὲ αὐτήν τε μαθεῖν κτέ* quae ad occidendos liberos pertinere negavimus, optime ita explicantur ut statuamus pariter atque in Hymno Cereris et apud

---

1) Illud verbum hic valere „sepelire" e Xenophontis loco (Cyrop. III: 3, 3). Galli (op. c. p. 9, adn. 2) probare studuit, quo Euripidis versus (Med. 1378 sqq.) ab Eumelo pendere ostenderet. Frustra, ut monuit Weege, Berl. Phil. Woch. 1907, col. 514.

2) Recte hoc observavit Weege, loco citato col. 513.

3) Op. cit., p. 8.

4) Apollod. Bibl. III; 13, 6.

5) Vid. imprimis versus 237 sqq.

Apollodorum cogitandum esse de iterata coctione eaque horis nocturnis instituta. Interdiu, sic enim pergit Apollodorus [1]), ambrosia eum ungebat. Nam haud sufficiebat semel recoquere infantem; saepius, per plures noctes atque dies [2]), actio solemnis instauratur; interventu autem alieno fataliter turbatur res. Quodsi Iason hic, ut alias Peleus vel Metanira, subito adveniens invitus puerum suum immortalitate privet, cur veniam ab eo petat Medea? Legimus enim apud Pausaniam [3]) illum *δεομένῃ οὐκ ἔχειν συγγνώμην*. Sed denuo haeremus in Periegetae verbis: eam enim explicationem de iterata recoquendi actione qua modo praecedentia illustrare nobis videbamur, redarguunt verba citata. Veniam enim petere haud debebat quae ut Ceres et Thetis infanti nihil omnino nocuisset; contra, ubi Medea veniam petit a marito unicam causam esse oportet quod mortem infantis effecerit. Aenigma solvere nequeo.

Sed fingamus modo, Eumelum revera dedisse Medeam *τεκνοκτόνον* ideoque Euripidi exemplo fuisse; attamen illa quae spectatorum Atheniensium oculos ad se traxit anno 431 quam diversa erat ab heroina quae per imperitiam suam pueros suos necaverat! Concedamus infanticidium ab Eumelo mutuatum esse Euripidem, nonne Euripidis Medea parricida ideo summa admiratione digna est, quia prorsus sibi conscia est sceleris sui? Nonne ideo tragica dicenda est, quia non solum aliis perniciem struit, sed ipsa vel maxime sibi? Atqui ergo ut poetae Atheniensi exemplo fuerit Eumelus, adeo immutavit ille exemplum suum, ut vix amplius agnosci queat.

---

1) Apollod. III : 13, 6. *τῆς νυκτὸς ἔφθειρεν ὃ ἦν αὐτῷ θνητὸν πατρῷον, μεθ' ἡμέραν δὲ ἔχριεν ἀμβροσίᾳ.* Item Hymn. in Cer. 237 sqq.

2) Cf. Hymn. in Cer. 240 *νύκτας δὲ κρύπτεσκε πυρὸς μένει.*

3) Paus II : 3, 11.

Ne tamen quis arbitretur Euripidem priscas mythi formas cum contemptu neglexisse: invita Musa eas interdum adhibuit; sic in fine fabulae [1]) suae Medea importunissime indicat locum, quo sepultura est puerorum suorum corpora.

Expectaremus puerulos suos abducturam eam ὡς μή τις αὐτοὺς πολεμίων καθυβρίσῃ. Minime: sepelientur in templo Iunonis Acraeae. Ergo, ne quis inimicus sive ipse Iason seu civis nescioquis Corinthius, malum inferat illis, Corinthi, in terra sibi infestissima, condit sepulcrum mater; nae sacra solemnia ἀντὶ τοῦδε δυσσεβοῦς φόνου imponit Corinthiis. Eo ineptiae duxit poetam animus nimis antiquorum mythorum tenax.

Narrat enim Scholiasta ad Pind. Ol. XIII, 74 et alia de heroina nostra et haec: αὐτῆς ὁ Ζεὺς ἠράσθη, οὐκ ἐπείθετο δὲ ἡ Μήδεια τὸν τῆς Ἥρας ἐκκλίνουσα χόλον· διὸ καὶ Ἥρα ὑπέσχετο αὐτῇ ἀθανάτους ποιῆσαι τοὺς παῖδας· ἀποθανόντας δὲ τούτους τιμῶσι Κορίνθιοι, καλοῦντες μιξοβαρβάρους. Hic igitur, ut apud Euripidem, cum pueris mortuis coniungitur festum quoddam solemne; sed quae hic aliquatenus defendi possit τιμή, apud tragicum risu ea digna est. Sed videamus cetera.

Juno ipsa promisit Medeae liberos immortales fore. Promisso suo non stetisse deam opinatur Galli [4]) sic locum interpretans: „Ma, continua lo scoliasta, ad onta di ale promessa, i fanciulli morirono" cett. Adversativam igitur vim ille tribuit particulae δὲ, quod parum convenit in placidum sententiae finem. Si, ut in Eumeli narratione, praeter

---

1) Vs. 1378 sqq.
2) Vs. 1380.
3) Vs. 1382 sq.
4) Op. c., p. 7.

spem liberi periissent, rei poenam solvere debebant. Sed quanam aetate quove modo pueri vita sint defuncti, non audimus: de caede ut cogitemus nulla exstat causa. Iure igitur Nilsson [1]) censet: „Schol. Pind. Ol. XIII, 74 kennt den Mord nicht."

Magis etiam cum Euripidis verbis comparanda sunt ea quae servavit **Parmeniscus** in Scholiis Euripideis [2]). Nam hic quoque mentio fit d· Junone Acraea, ad cuius aram confugisse dicuntur Medeae liberi quatuordecim, refugium quaerentes a mulieribus Corinthiis, quae ferre non possent urbem suam gubernari a femina barbara atque venefica. At non absterruit cives infensos religio loci sed in ipsa ara omnes occiderunt. Pestem inde ortam cum coercere nequirent, oraculum iussit cives quotannis ad deae templum septem pueros septemque puellas mittere ad deprecandam Junonis iram.

Nunc demum, a Parmenisco docti, intellegimus cur maga apud Euripidem caedem nefandam expiare iubeat Corinthios: Corinthii antiquitus dicebantur necasse Medeae pueros. Postea vero, cum urbem suam tanta ignominia liberare vellent, Euripidem eos movisse quinque ab iis acceptis talentis ut caedem puerorum imputaret Medeae [3]), ridicula ea quidem est narratio, in qua tamen veri scintillam perlucentem adhuc cernimus.

Digna enim est fabella, quae inter eiusmodi narrationes in poetarum Vitis toties obvias relegetur; sed utique istud *ἄτοπον* nobis ostendit, antiquiorum temporum mythos quanti facerent poetae.

---

1) Nilsson, Griechische Feste, p. 57.
2) Schol. Eur. Med. 264.
3) Vid. Schol. Eur. Med. 9.

Ne tamen hinc efficiamus serviliter Euripidem semper fontes suos integros posteris tradidisse. Quod tamen hoc loco factum esse ratus est Groeger [1]), qui mentione facta de Corinthiorum piaculis annuis, sic scribit: „Haec (id est narrationem de Euripide a Corinthiis corrupto) autem ideo ficta esse apparet ut illud *ἱεροδούλων* institutum cuius ipse Parmeniscus mentionem facit, explicetur; quod quin ex puerorum sacrificio Junoni in montis cacumine facto ortum sit non dubito. Sed idem institutum, Euripidi ante oculos versatum esse minus crediderim, quoniam hic duos tantum pueros semper commemorat." Ultima verba, pace viri doctissimi dixerim, sine risu quodam perlegere nequeo. Quid enim faciendum fuerat poetae? Quatuordecim continuo trucidantem pueros puellasque matrem fingere debuerat? Tanti ambitus caedem vel ipsi barbarae nimiam fuisse opinor.

Alia continet Scholium quod attuli Euripideum quae non minus cum tragoediae argumento cohaerent: Creontis dico mortem. Hunc enim **Creophylus**, teste Didymo [3]), tradidit Corinthi regnasse; quem cum Medea herbis suis necasset, Athenas profugisse illam. Pueros autem infantes, quia comitari se non possent, in ara Junonis Acraeae posuisse matrem, spe motam fore ut Iason curam eorum haberet; sed Creontis necessarios occisis pueris rumorem sparsisse ipsam matrem auctorem fuisse sceleris atrocissimi.

In hac narratione singulae res non inter se congruunt; cur enim Creontem necaret Medea, nisi quod filiam eius novo matrimonio sibi coniunxerat Iason? Quae autem Iaso-

---

1) De Argonauticarum fabularum historia, (Diss. Vratislav. 1889), p. 25.

2) *νεοκόρων* Junonis scilicet.

3) Vid. Schol. Eur. Med. 264.

nis socerum necasset, quodnam auxilium expectaret ab Iasone? Cur amplius curam haberet ille liberorum istorum quorum mater tanto sibi odio esset?

Haec et plura huiusmodi roganda quidem habeo, non tamen habeo, unde iis respondeam ita ut mihi aliisque placeam. Varios enim atque diversos quales hic inter se mixti sunt mythos enucleare haud potero; praeterea fontes operis Euripidei indicare eo difficilius est, quod de Creophyli aliorumque aetate, doctrina, fide denique saepe in incerto sumus.

Mimnermum cum tragico nostro libens confidensque coniungo. Etenim quoties perlego Colophonii fragmentum undecimum [1]), suspicio mihi oritur ab hoc carmine prologum suum mutuatum esse nostrum. Inspicias mihi illa

οὐδέ κοτ' ἂν μέγα κῶας ἀνήγαγεν αὐτὸς Ἰήσων,

deinde versu quarto iterum *οὐδ' ἂν* nonne optime haec in Medeae versus (6 sqq.)

οὐ γὰρ ἂν δέσποιν' ἐμὴ κτέ.

quadrant? Suppleri fere possunt Mimnermea ex Euripide. „Nunquam Iason vellus magnum ipse reportasset", quid sequi debet? Hoc nimirum: nisi Pelias id eum facere iussisset, nisi denique navis esset vecta. Hinc ergo ortum puto illud prologi initium, quod ex Euripide sexcenties repetiverunt posteri.

Stesichorus Himeraeus *ἆθλα ἐπὶ Πελίᾳ* cecinit; ex hoc carmine paucae supersunt reliquiae, quarum tamen argumentum vix cum Euripide concinit. Ludi enim funebres in Peliae honorem habiti toto coelo distant a Pelia Medeae dolis necato. Alia mythi versio praesto fuit Stesichoro, ut qui de inimicitiis Peliam inter et Aesona deque iis qui

1) Apud Bergk, in editione quarta.

inde orti sunt casibus variis nihil omnino traderet. Eodem auctore ludis funebribus Iason quoque interfuit, ut mox videbimus ubi de Cypseli quae dicitur cista agemus.

Simonides *ὁ Κεῖος* quin Iasonis Medeaeque casus tractarit, nullum est dubium: iam vidimus hunc Iasona cantasse ab uxore recoctum. Expeditio ad vellus captandum facta innotuit poetae, quod docet Scholiasta ad Medeam Euripideam [1]). Etenim, quae ille refert ex Simonidis Hymno in Neptunum: „*ἀπὸ τῶν ἐν τῇ θαλάττῃ πορφυρῶν κεχρῶσθαι αὐτὸ* (*τὸ δέρμα*) *λέγει*" ea iure sic explicantur ut de ipso vellere deque Argonautis ad Aeetam vectis sermo fuerit apud eum. Neque quae Corinthi facta sunt neglexisse Simonidem ex alia Scholiastae adnotatione [2]) apparet: hic enim narrans Iasonem regnasse inter Corinthios, testem affert ipsum Ceium dicentem:

> *οὐδὲ κάτ' [εἰς Κόρινθον] οὐ Μαγνησίαν ναῖεν· ἀλόχῳ δὲ*
> *Κολχίδι συνάστεος θράνου Λεχαίου τ' ἄνασσε.*

Verba corrupta [3]) qualia novissime edidit Schwartz hic descripsi: unde hoc iam statim apparet oppugnare poetam narrationem quandam sibi notam, ignotam nobis. Sic refutatur adversarius, non depinguntur herois alicuius res gestae. Si autem recte verba restituit Schwartz, ante Simonidem alius poeta locutus erat de Iasone Magnesio, locutus fortasse erat

---

1) Vs. 5.

2) Ad. Eur. Med. 20.

3) Editor in calce annotat verba *οὐδὲ κάτ'* nondum esse emendata. Quodsi illud *οὐ* quod sequitur integrum est, negationem quae antecedat (*οὐδὲ*) alteram vel tertiam partem fuisse sententiae alicuius quae perierit censendum est. Dubitanter propono *οὐδέποτ'* ita ut negationis *οὐ* vis augeatur. Cur tamen verba *συνάστεος θράνου* perduxerint Schwartzium ad coniecturam *ξὺν ἄστεος κραναοῦ* non intellego.

etiam de Iasonis Medeaeque fuga ex Iolcorum urbe; sed haec ut incertissima in medio relinquo.

Simonides autem novam, certe communi opinioni contrariam, rem excogitasse videtur quae huc fere redit: non Magnesia [1]) (e Thessala igitur regione) oriundus erat Iason; Corinthi vixit una cum Colchide, quam Lechaei regni participem habebat. Idem de Iasone Corinthi regnante legitur in Eumeli reliquiis. Etenim Pausanias [2]) ex Eumeli opere tradit Iolco arcessivisse Medeam Corinthios rege orbatos, *βασιλεύειν μὲν δὴ δι'αὐτὴν 'Ιάσονα ἐν Κορίνθῳ.* Apud antiquos etiam saepius de Iasonis patria dubium fuisse iam ex iis, quae praecedunt apparet. Cuius rei memores verbis nonnullis e Pindaro aliquid novae lucis afferre fortasse possumus: versum volo *ξεῖνος αἴτ' ὢν ἀστός* [3]) magisque etiam versum [4]), ubi Aesonides gloriatur *ἐπιχώριος οὐ ξείναν ἵκω γαῖαν ἄλλων.* Facere hic non possum quin suspicer Pindarum quaestionem de Iasonis patria, quam toties suscepissent antiquiores poetae, ita dirimere voluisse ut diceret: fuit ille utpote Aesonis filius civis Iolciacus; peregrinus idem fuit, quatenus ad annum vigesimum usque [5]) rure degerat [6]).

Pindarus autem inter poetas praeeuripideos primus Argonautarum expeditionem aliquanto fusius tractavit. Qui, pariter atque Simonides, asseverat vera se dicere de Corintho [7]):

---

1) Fieri potest, ut versioni, quam hic impugnat Simonides, Pindarus debuerit suam Iasonis descriptionem (Pyth. IV 140 sq.) *ἐσθὰς νιν ἔχεν Μαγνήτων ἐπιχώριος.*

2) II:3, 10 sq.

3) Pind. Pyth. IV, 137.

4) Ib. 210.

5) Vid. vs. 185.

6) Cf. Schol. Pind. Pyth. IV, 138*a* (Drachmann).

7) Pind. Ol. XIII, 72 sqq.

οὐ ψεύσομ' ἀμφὶ Κορίνθου, Σίσυφον μὲν
πυκνότατον παλάμαις ὡς θεόν,
καὶ τὰν πατρὸς ἀντία Μήδειαν θέμεναν γάμον αὐτᾷ
ναΐ σώτειραν Ἀργοῖ καὶ προπόλοις.

Corinthium ergo Aeetam fuisse voluit ille, Eumelum fortasse secutus, qui Corintho Colchidem migrasse regem narraverat [1]).

Utrum vero Medea auctore Pindaro Corinthi degerit an solum propterea memoretur quod Corinthii regis filia fuerit, id Pindari verba non indicant.

Cum in hoc vero carmine nonnisi obiter poeta heroinae nostrae casus strinxerit, alibi totam fere Argonautarum expeditionem copiose enarrat: in **quarta Pythionica** inde ab oraculo Peliae dato usque ad Peliae caedem versibus plus quam trecentis describuntur ea, quae multorum poematum posteuripideorum materiem fuisse iam vidimus. Carminis prooemio neglecto rogamus cum poeta *τίς γάρ ἀρχὰ δέξατο ναυτιλίας;* [2]) cui quaestioni sic fere respondet:

Monuerat Peliam oraculum, cavendum esse *τὸν μονοκρήπιδα.* Mox Iolcum venit iuvenis ingenti statura, duabus hastis armatus pantherino vellere indutus; nitentes in tergum defluebant capilli. Pernici pede accedens stetit intrepidus inter medios cives. Quorum nullus eum agnoscebat excepto rege, qui simulatque laevum eius pedem nudum esse comperit stupuit oraculi memor. Attamen metum dissimulans rogabat: „quanam patria gloriaris quibusque parentibus ortus es?" Tranquillus ille „A Chirone", inquit, „disciplinam me accepisse profiteor". Addit se iamnunc venisse

1) Paus. II: 3, 10.
2) Pind. Pyth. IV 124.

post viginti annos [1]), ut patris regnum recuperet. Nam olim parentes Iasona infantem clam abduxerant Peliae superbiam veriti. Peliam igitur poeta depinxit superbum atque dolosum, qualem eum praebet Hesiodus in Theogonia [2]); num ab eodem mutuatus sit usurpatorem Peliam [3]) non liquet ex Hesiodi versibus qui *ὑβριστήν*, *ὑπερήνορα*, *ἀτάσθαλον*, *ὀβριμοεργόν* eum vocat quidem, sed singula regis malefacta describere supersedet.

Sed redeamus ad Odam nostram. Reducem filium lacrimans accipit Aeson; accurrunt fratres, per quinque dies Iason hospitio fruitur. Sexto demum die Pelias ad ea quae rogavit iuvenis respondet; dicit autem se regnum ei cessurum esse. Sed deorum inferorum ira se vexari: Phrixi enim animam errantem orasse ut una cum vellere arietino in patriam reduceretur: quam ob rem se huius rei causa expeditionem emissurum esse, quam si Iason ad bonum finem perduxerit, fore ut ipsi *μοναρχεῖν καὶ βασιλευέμεν* [4]) liceat.

Iure iurando rem confirmant; statim Iason dimittit praecones: nobilissimi conveniunt iuvenes, Hercules, Dioscuri, Boreadae, Orpheus, alii multi. Mox nave Argo conscensa Argonautae proficiscuntur et post varias tempestates (non neglegit poeta Symplegades, quas nomine *συνδρόμων πετρᾶν* [5]) ornat) appellunt ad Aeetae terram.

Continuo dea *Κυπρογένεια* Medeae suadet, ut pietate erga parentes suos abiecta Iasoni auxilietur in laboribus perferendis. Mox matrimonii mutuam inter se dant fidem.

Tunc vero Aeetes spectante hominum corona tauros, qui

---

1) Carmen cit. vs. 194 sqq.
2) Vs. 995 sq.
3) Vs. 195.
4) Vs. 294 sq.
5) Vs. 370 sq.

flavis e naribus ignem spirabant flammmantem aratro ipse subiunxit quo dorsum terrae glaebosae diffinderet. Tunc eundem Iasoni laborem imposuit, quem si exantlasset, ipsius fore „infandam pellem auream fimbriatam."

Haud moratus Iason aggrediebatur periculosum laborem. Sulcam autem permensus incolumis ad regem redit, qui vix oculis suis credens mandatum ab advena peractum agnovit. Iam coactus ut promissum suum solvat rex Iasoni indicat locum ubi pendet vellus. Tamen sperabat fore ut draconi saltem impar esset ille; etenim draco vellus custodiebat violentissimus, qui ambitu superabat ipsam navem qua advecti erant quinquaginta illi heroes. At unus Aesonides occiso monstro praeda potitus est, *κλέψεν τε Μήδειαν σὺν αὐτᾷ*[1]*, τὰν Πελίαο φόνον.* Ad finem hic pervenit narrationis suae poeta; nam qui sequuntur versus non ad nostram rem pertinent.

Ex **Aeschyli** atque **Sophoclis** tragoediis quae de Iasone Medeaque agebant, tam exigua supersunt fragmenta, ut in iis explicandis operam perdere nolim. Nam unus ex Aeschyli dramate Argo versus[2]) de nave illa, cuius prorae adiunctum erat lignum quod loqui dicebatur, vix alicuius nobis momenti est. Dolendum autem est e Sophoclis Colchisin tam parva laceraque fragmenta ad nos pervenisse: ut enim titulus iam indicat, argumentum huius fabulae versabatur in Colchis. Certamen quoque Iasonis cum tauris poeta tractabat; sed

---

1) „Sua sponte Medeam secutam, non vi raptam esse lepide poeta significat, unde apud Lycophronem (vs. 1317) Iason dicitur

αὐτόκλητον ἁρπάσας κεραίδα
τὴν γνωτοφόντιν καὶ τέκνων ἀλάστορα. Christ, ad Pindari versum 250 (= 445).

2) Aesch. fr. 19. (D.): *ποῦ δ' ἐστὶν Ἀργοῦς ἱρόν, αὔδασον, ξύλον.*

fragmentum illud [1]) iam supra cum Ovidii versibus comparavimus neque est quod observatiunculis ibi factis addatur. Sophoclis vero *Ῥιζοτόμοι* si Euripidi exemplo fuerunt, Medeae certe pauciora suppeditaverunt quam Peliadibus; haec enim tragoedia item atque Sophoclea Peliae caedem exhibebat.

Iam videamus de artis operibus Euripideo aevo antiquioribus. Quorum quod huc spectat antiquissimum Pausaniae tantum descriptione [2]) nobis cognitum est: cistam dico illam Olympiae quondam in Heraeo expositam, qua Cypselus a matre abditus fuisse credebatur. Variae in ea res sculptae erant, e quibus quae huc praesertim pertinent inde a paragrapho nona percurrit Periegeta [3]). Mentione enim facta de ludis funebribus in Peliae honorem habitis participes ludorum enumerat et alios Argonautas et Iasona aequo marte pugnis cum Peleo certantem. Repraesentabantur nuptiae quoque Iasonis et Medeae coram Venere celebratae; inscriptionem etiam memorat Periegeta:

Μήδειαν Ἰάσων γαμέει, κέλεται δ' Ἀφροδίτα.

Quandoquidem de Colchicis rebus nihil hinc discimus, Euripides etiam si notum habuit illud monumentum, Medeae suae materiem inde desumere vix potuit. At mythum finxisse caelatorem plane diversum a poeta Atheniensi ipsum cistae argumentum probat. Iason enim, qui sacrorum illorum par-

---

1) Soph. fr. 320 (D.).

2) Paus. V 17, 5 sqq.

3) Quid unus et alter vir doctus de cistae forma et ornatu censuerit, qui scire cupit, inspiciat Furtwängleri opus: Meisterwerke der Griechischen Plastik, p. 723 sqq.

ticeps memoratur, haud inimico erga Peliam animo esse potuit. non dolose ergo expeditionem emitti Argonautarum iusserat Pelias.

Sed iam iusto diutius moramur in iis contemplandis, quae νοῦς ὁρᾷ quidem, quae tamen oculis nemo nostrum cernit. Itaque tempus perdere nolo enumerando Miconis Argonautas [1]) vel Lycii, Aristolai, aliorum monumenta aut sculpta aut picta, de quibus praeter nomen nihil omnino superest Tractabo potius ea quae integra plus minusve exstant, quaeque ut nobis aspicere licet ita olim Euripidi ipsi ante oculos fortasse fuerunt.

Primarium locum inter illa monumenta praeeuripidea obtinet **opus caelatum in Museo Lateranensi** [2]) quod sive medio saeculo quinto sculptum est, sive huius aevi opus pro exemplo habuit, certe Phidiacae artis normam prae se fert. Tres ibi mulieres videmus parantes sucum ad recoquendum Peliam; quarum duae ab artifice ita inter se iunctae sunt, ut quasi unam efficiant figuram; tamen Brunn alteram quia gladium strictum teneat utique Medeam esse asseverat [3]). Unde efficias tertiam mulierem quae a ceteris paulum stat remota alteram esse Peliadem. Tamen tertia haec figura eo ipso ab aliis discrepat quod insolitum in capite gerit velamentum, in tergum dependens. Talem vero amictum nisi tribuimus peregrinae, cuinam tribuamus?

In capite enim secundo nonnullas descripsimus imagines, ubi Colchis non Graeca veste apparet sed Orientali. Multo

---

1) Vid. Paus. I: 18, 1.

2) Descriptum apud Benndorf u. Schöne, Die antiken Bildwerke des Lateranensischen Museums Nr. 92, depictum autem in Brunnii opere: Denkmäler Gr. u. R. Sculptur, tab 341*b*.

3) Sitz. d. k. b. Akad. d. Wiss. z. München, 1881, II, 97.

quidem splendidior in illis imaginibus prodit maga quam hic: sed, quoniam vestimento illam feminam a ceteris personis discernere voluit sculptor, sumendum est, eum peculiari hoc vestitu indicasse peregrinam. Quod si recte animadverti refutare non necesse mihi est Brunnium conantem Thessalis [1]) vindicare vestitum qualem hic habemus. Sed non ego primus Brunnii argumenta damnavi: dudum hoc fecerunt alii [2]); neque omnino verbis opus est: **amphora** [3]) enim quaedam **nigris ornata figuris** ostendit Medeam Orientali pileo tectam coram Pelia et filiabus duabus Graece vestitis arietem recoquentem. Verba denique viri clarissimi [4]): „Nun gar eine asiatisirende Medea in einem voralexandrinischen Werke wäre eine Anomalie" redarguit vasculi imago in pago Kertsch [5]) reperti quod sine dubio Alexandrinam aetatem antecedit; ibi toto vestimento barbaram se testatur nostra.

Obiter hic monere non abs re est ne Orientales qui videantur vestitus tantummodo homines Orientales significare credamus. In vasculis enim, praesertim in iis quae in Magna Graecia confecta sunt reges reginaeque Graecorum haud raro eodem magnifico ornatu prodeunt quo Asiatici proceres repraesentari solent. Comparanti e. g. Creontis in vase Canossensi-Monacensi [6]) vestimentum cum Aeetae in eodem vase vix quicquam inter se differre ambos apparet. Tertiam addo Peliae figuram in vasculo quodam apud Millingen [7]) expresso quae figura paucis rebus exceptis eodem modo ves-

1) Op. c. p. 100.
2) Vid. e. g. Seeliger apud Roscher II, 2501, 10 sq.
3) Gerhard, Auserl. Vas, tab. 157, 1.
4) Op. c., p. 99.
5) Vid. infra, p. 52 adn. 1.
6) Vid. Cap. II, p. .
7) Millingen op. cit. tab. 7; Peliam autem voluisse pictorem supra vidimus.

tita est; manicis arte bracchia tegentibus insignis est Pelias; hic igitur vestiendi mos, apud Pandarum, Paridem, alios Asiaticos toties obvius, aequo iure tribui potest Graecis, qui in imaginibus occurrunt: Asiatica manica haud raro conspicui sunt reges minime barbari.

At vascula quae huc attuli cuncta iis temporibus annumeranda sunt, quibus scena pictoribus figuras complures praebere solebat; unde quales in theatro actores prodibant, tales cernebantur in imaginibus, non magis Graeco vel Asiatico ritu vestiti quam theatrali. A Thessalis ad vestimenta sua ornanda multa desumpsisse actores observavit Brunn [1]), neque quod iam Athenienses saeculi quinti fecisse videntur posterioribus temporibus abiudicandum censeo.

Id unum assevero: in vasis Apulis vel in aliis Magnae Graeciae vasculis tam communes sunt figurae istae magnifice vestitae tamque inter se congruunt ut nisi alia accedunt indicia, discerni non possit sintne illae Asiaticae an Graecae. Asiaticae vero figurae plerumque habent quo a ceteris discrepant pileum quem vocant Phrygium. Cuius quamquam varia exstant specimina quae ad suum quodque genus vix referri possunt omnia, tamen Orientalia iure dicuntur. Neque deest talis vestis in celeberrima **hydria** a **Midia** [2]) pictore ornata, ubi Medea inter mulieres duas Graece vestitas primo aspectu agnoscitur. Nam, ut de virorum in vasculis obviorum patria dubitare quis possit, de feminis vix ullum est dubium. Ceterum Argonautarum res hic repraesentari patet quidem, sed quia Iason deest Medea a marito disiuncta quid sibi velit non bene intellegimus.

Argonautarum enim expeditione nondum ad finem per-

1) Op. c., p. 101.
2) Vid. Furtw. u. Reichh. op. c., tab. 9.

ducta ambo coniuncti erant amore; Corinthi demum Medeam contemptui habere incipit Iason. Ergone ipsum ducem inter Colchos reliquerunt Graeci? In mentem nobis venit mythi versionis alicuius, quam ex Hypsipylae Euripideae fragmentis cognitam habemus, a communi narratione prorsus alienam.

Legimus in Euripidis versibus[1]) Iasonem postquam Lemni per plures annos vixerit ibique pueros matre Hypsipyla duos procreaverit, ipsos nave Argo secum duxisse ad Colchos [2]), deinde mortem obiisse. Ea cum narratione Robert [3]) acutissime coniunxit **cylicem Atticam** [4]) in qua Iason (adscripto nomine) a dracone devoratur praesente Minerva, cum in recessu vellus pendet ex arbore. Quo autem erga eum animo Minerva hic esse fingatur non perspicio. Robert dicit eam gaudere Iasonis interitu quippe quae Herculi Iasonis inter Argonautas aemulo prae hoc faveret; vereor tamen ut ex imagine nostra hoc aequus spectator effecerit. Deae enim alicuius praesentia plerumque significat laborem felicem ad finem ductum iri.

Paucae supersunt imagines, quae facilius cum Medea coniungi possunt. Inter quas quae ceteros Argonautarum casus exhibent, ut est Talos Medeae auxilio ab Argonautis victus [5]) vel Amyci cum Polluce pugna [6]), prudens omitto.

---

1) Vid. Oxyrh. Pap. VI, p. 71, vs. 1614 sqq. cf. adn. ib. p. 105.

2) Sic enim implentur vulgo literae .. λ .. ν. Editores vero Grenfell et Hunt malunt legere Ἰωλκόν; et, quamquam non diiudico quaestionem de Iasone semel an bis Lemnum appulso, unum concedo viris doctis, mirum esse quod infantes duo expeditionis participes fiunt.

3) Hermes XLIV, p. 376—402.

4) Vid. Roscher II, 85.

5) Vid. Furtw. Reichh. op. c. I, tab. 38—39.

6) Gerhard, Auserl. Vas., tab. 153—154.

Minime neglegendus est **crater Cornetanus** a viro docto A. Schultz [1]) editus: videmus ibi Peliam quem filia (nomen ita explendum esse ut audiat Alcandra indicavit Schultz, l.l.) secum ducit, ut periculum subeat. Sed altera quae in cratere nostro conspicitur mulier, quia nomen non amplius legi potest, utrum Medea sit an altera filia, dubito. Hoc veri tamen similius videtur.

Iam venio ad **stamnos duos**, quorum teste Gerhardo [2]) alter alteri simillimus est, ita ut unum describere suffecerit. In media imagine [3]) conspicitur aenum, e quo se erigit aries cuius collum et ex parte cornua cernuntur. Stupet miraculo una ex Peliae filiabus; gladium quo bestiam modo cecidit manu tenebat adhuc, cum oculis obvenit quod credere vix audebat. Altera quae adest mulier quamquam habitu vix ab hac diversa est tamen ideo Medea appellari solet, quia diductis laevae manus digitis supra aenum magico fungitur ritu, dextra autem tenet *κρεάγραν* qua ad recoquendum Colchidi opus fuisse mirum non est.

Ad finem denique servavi quae mentione dignissima est **lecythus Leidensis** [4]), antehac in collectione Principis a Canino servata [5]). Artifex praeter colorem nigrum adhibitis albo et rubro, penicillo usus ut ita dicam neoarchaico hanc pinxit scenam.

In medio stat cortina e qua puerulus vehementer movens bracchia cruraque exsilit; quem recoctum esse, id quod vel sic credimus, insuper significat ignis aenum circumflammans.

---

1) A. d. I. 1876, tab. F, p. 43—48.

2) Arch. Zt., vol. IV, p. 370 adn. 1.

3) Vid. Berl. Vasensammlung nr. 2188.

4) Descripta in „Catalogus van het Rijksmuseum van Oudheden te Leiden", afdeeling Griekenland en Italië, 1e deel, p. 94, nr. 20.

5) Gerhard, Auserl. Vas. tab. LXIX—LXX, 5 et 6.

Intuetur eum femina sedens quae manu sublatam tenet virgam; post eam adstat clava nisus vir barbatus tunicatus. Illa in catalogo citato Medea audit, hunc Aesonem esse suspicatur descriptor. Quod sane crederemus, nisi plures adessent figurae, quae haud ita facile cum praecedentibus coniungi possint. A tergo enim pueruli sedet altera mulier priori consimilis, adstat alter vir barbatus vix ab illo discernendus [1]). Nomina sic Wernicke [2]) inter quinque figuras distribuit ut prior femina esset Medea, altera ex Peliae filiabus una, viri autem vocandi essent Iason et Pelias; puerulum denique non Iasona recoctum dicit sed Aesona. Obstat tamen quod de Aesonis recoctione coram Pelia nihil notum habemus.

Equidem facere non possum quin suspicer pictorem satis securum fuisse de singulis personis indicandis, quippe qui et alias figuras et praesertim feminam utramque sedentem nullo indicio notarit. Puerulum autem qui Iasonem aut Aesonem vocat a vero non multum abesse dixerim. Aliter enim explicare hanc scenam neque ego potui, neque alii [3]) potuerunt.

---

1) Fieri potest, ut qui post Medeam stat altero iunior aliquot annis sit.

2) Vid. Roscher II, 2505, 24 sqq.

3) Gerhardum ad Amphidromia rem referentem (l. l. p. 196) iure suo refutavit Jahn (Arch. Beitr. p. 157 adn. 155).

EPILOGUS.

Mythorum originem indagare res est ut pulcherrima ita gravissima atque periculosissima. E paucis enim sparsisque vestigiis restituenda est ipsius mythi indoles, quem ad finem saepe opus est coniecturis audacissimis simul et incertissimis.

Quid autem de heroinae nostrae origine certum est atque extra omne dubium? De qua tam varii rumores atque ii saepe inter se pugnantes iam antiquitus circumferebantur ut etiam hoc, quod Pyl in initio dissertationis suae scripsit: „Medeae patrem Aeeten fuisse omnes scriptores consentiunt" non ab omni parte verum dici possit.

Obstat enim Pausaniae locus supra allatus [1]), qui de necessitudine Aeetam inter et Medeam obscure quidem agit, ita tamen ut de tam propinqua cognatione cogitare lectorem non sinat. At parum valet unicus hic locus contra tot testes, qui de Aeeta patre Medeae consentiunt; maioris vero momenti est quod avum paternum gloriatur illa Solem deum: divina stirpe creatam notam habebant eam antiqui neque tantum Hesiodus [2]) vel alii inter vetustiores epicos lyricosve poetas [3]), sed etiam Euripides. Qui postquam per

1) Paus. II:3, 10.

2) Hes. Theog. 958 sqq.

3) Apud Pindarum quoque (Pyth. IV, vs. 18.) ἀπ' ἀθανάτου στόματος vaticinatur.

totam tragoediam ostendit Medeam Iasonis repudio offensam, matrem inter odium et pietatem vacillantem, feminam denique vehementissimae indolis, subito absque omni ratione mutat eam in deam immortalem, factorum plus quam humanorum capacem.

Etenim, barbara simulatque currum serpentibus iunctum conscendit, dea fit, mox extra hominum oculos abitura; dei per aera vehuntur, non homines. Quamquam hos hodiernis temporibus aethera carpentes apertius cernimus quam ipsos deos immortales.

Quid autem divini spiritus in Medea postquam e dea homo facta sit reliquum fuerit inquirendum est prae ceteris. Et notissima quidem est heroina nostra ob magicas suas artes, ob herbarum sucos adhibitos, ob μεταμορφώσεις peractas varias. Non solum enim demere hominibus vel bestiis seniles annos valet, quod passim notavimus, sed etiam perinde atque Venus Homerica [1]) grandaev m se fingere potest, ut e Diodori quodam loco [2]) sumere licet. Quid quod non solum senes recoctis membris ad iuventutem reducit Medea, sed etiam infantes recoquit [3])?

Recoquendi illam artem tunc demum suo pretio aestimare poterimus, si invenerimus qua ratione recoctio senibus, iuvenibus, infantibus aeque prodesse possit. Nam annos demere modo natis pueris vel vigorem addere viris strenuis, id nimis foret absurdum.

Unum restat responsum: cum senibus tum viris tum infantibus addere vult dea immortalitatem qua ipsa fruitur. Sic Iasonem virili etiam aetate recoqui non miramur. Virum

---

1) *Γ* 386 sqq., cf. Verg. Aen. V 620 sqq.

2) Diod IV, 51.

3) Ut in III° capite vidimus.

legimus heroa recoctum [1]) apud Lycophronem, haud sub vitae finem, sed (si rerum enarratarum ordinem aliquid valere apud poetam credere licet) antequam vellus eripuerit arietis.

Mentem subit passim de diamelismis qui dicuntur in mythis Graecis mentionem fieri. Quae hac de re narrationes exstant, ut de Lycurgo Thracum Edonumque rege vel de Pentheo, eae magna quidem parte homines dilaceratos tradunt, sunt tamen etiam quibus simile quid ipsis diis accidisse fertur. Sic ipse Iupiter Cretensis usque ad mortem cruciatus esse dicitur. Videntur autem antiqui significasse dolorem suum ob terrae fecunditatem sensim diminutam, pariter atque in vitam redire putabant deum mortuum simulatque sol novus superata bruma fruges eliciebat ex agris.

Sed satis iam vidimus, quid egerit Medea; nunc paulisper reputandum est quis fuerit, id est qua patria orta sit.

Qui primus hac de re fusius egit K. O. Müller [2]) credit antiquissimam fabulae formam eam fuisse ut heroina nostra pro Corinthia haberetur atque sacerdos Junonis Acraeae [3]), unde in narrationibus popularibus reginae locum occupare coeperit. Rumorem illum de Medea Corinthi regnante e locis iam supra tractatis novimus; priscis tamen temporibus Medeam cum Junone coniunctam fuisse, id propterea minus veri simile videtur, quod huic deae cum magicis quid commune fuerit prorsus obscurum est. Hecate vero quam in μυχοῖς ναίουσαν ἑστίας suae maga asseverat [4]), quamque non tantum prae cunctis veneratur sed etiam

1) Lycophr. vs. 1315.
2) K. O. Müller, Orchomenos und die Minyer ², p. 264 sqq.
3) Cf. Eur. Med. 378.
4) Eur. Med. 394 sqq.

ξυνεργὸν suam gloriatur, haec dea haud dubie cum Medeae mytho coniuncta fuit.

Fuerunt etiam qui Hecaten nostrae matrem dicerent; quae a Diodoro [1]) quidem ita describitur ut de homine potius cogites quam de dea; cum tamen eam φιλοκύνηγον et φιλότεχνον εἰς φαρμάκων θανασίμων συνθέσεις vocet Siculus, significat eam iisdem pollere artibus quibus deam Hecaten.

Circen denique ubi sororem Medeae adiunximus [2]) plane elucet originem nostrae quaerendam esse inter eas deas vel heroinas quae magicis artibus deditae nocturnis horis sacra sua celebrare dicebantur.

In Iasonis quoque vel in Argonautarum mytho maximi momenti sunt herbae ad conservandos amicos vel ad perdendos inimicos adhibitae: tota ista expeditio sine Medea intellegi non potest. Nam quamquam Homerus mentione facta de Argo nave deque Iasone Medeam nominare supersedet, quomodo ille adversante Aeeta tantis e periculis evaserit non intellegimus nisi adfuerit barbara.

Fieri tamen potest ut immortalem tunc demum eam finxerint antiqui, postquam Corinthiorum sacris coli coepta sit [3]); antiquissimis fortasse temporibus non fuit dea, sed pariter atque Agamede [4])

ἣ τόσα φάρμακ' ἐϝειδε' ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών

herbis pollebat coctis, quibus utebatur ad vulnera lenienda vel ad hominum aegrorum mala levanda. Medendi autem

---

1) Diodorus Sic. IV, 45.
2) Ibidem.
3) Id putat Seeliger, Roscher II, 2500.
4) Hom. Λ 741.

arte[1]) fungens Medea optime cum Iasone qualis antiquissimis temporibus esse credebatur convenit; nam ipsum Iasona, a stirpe verbi *ἰάομαι* nomen suum accepisse probabilis est Useneri [2]) coniectura ; quod autem Chironem magistrum habuit, id quoque huc facit.

Is enim iam apud Homerum [3]) dicitur Machaonis patri Aesculapio *ἤπια φάρμακα* praebuisse; inter *ἰατροὺς* hic versamur nobilissimos, quorum numero medicam *'Ιασὼ* vel ex Aristophane [4]) notam addere non abs re fuerit.

Accedit quod nulla regio tantopere abundat herbis salutiferis quam Thessalia; unde apud Ovidium [5]) ubi nostra sacra sua parans curru alato ingens iter facit, et alibi et in Pelio monte iustas herbas quaerit. In Thessalia ergo quaeramus nostrae heroinae originem; paucissima quae quidem sint certa vestigia superesse Medeae Thessalicae equidem non nego; sed moneo inter antiquiores poetas Eumelum [6]) talia tradidisse de Medea, qualia, nisi Iolco oriundam eam voluit ille, vix sanum praebeant sensum.

Ceterum tantam mythorum farraginem enodare id profecto iudicis est me longe peritioris. Taceo igitur de argumentis eorum, qui Lunae deam Medeam fuisse arbitrati sunt vel, ut alteram quoque audiamus partem, qui Inferis eam adnumerare studuerunt.

Quidquid id est, sive dea fuit antiquitus Medea, sive

1) Ipsam Medeae nominis stirpem Usener (Götternamen p. 163) Picteto assentitus derivat ab etymo madh e quo correpta vocali verbum Latinum „mederi” natum videtur.

2) Op. cit. p. 156: multa ille exempla affert correptae vocalis in nominibus quae in — *σος* exeunt.

3) *Δ* 219.

4) Ar. Plut. 701.

5) Ov. Met. VII 224.

6) Cf. supra, p. 78 sq.

maga artis medicae peritissima, postquam Euripidis ars hominem eam finxit in terras certe descendit; at mox immortalitatem aliquam recuperavit ea famae celebritate splendens qua in scenam toties producta per plus quam viginti saecula usa est quaque fruitura est quamdiu existent qui vitam et fata ἐφημερίων ἀνθρώπων dignam censeant quam iterum iterumque contemplentur.

Corrigenda.

Pag. 65, adn. 1: Arch. Ztg. vol. 19. Lege 25.

Pag. 66, adn. 1: Arch. Ztg. vol. 19, tab. 223. Lege vol. 25, tab. 224, 1.

THESES.

THESES.

I.

Mythum qui de Medea agit e Thessalia oriundum esse iure contendit Groeger (De Argonauticarum fabularum historia quaestiones selectae. Diss. Vratisl. 1889).

II.

In scypho Etrusco de quo disputatur Jahrb. d. Arch. Inst. Band XV, p. 464 sq. (cf. imago 8) quae conspiciuntur figurae non Medeam Iasonemque repraesentant.

III.

In Aeginetici templi figuris sculptis (vid. Furtwängler: Aegina, Text, p. 244 sqq.) figuras quae literis C et D, H et I notantur perverse a Furtwänglero restitutas esse recte observavit Mackenzie (Annuals of the British School at Athens, vol. XV, p. 288).

IV.

In enarrandis Pisistrati rebus gestis Herodotus minime aequus iudex praesertim ludificandi suo studio indulsit.

V.

Frustra Caesar (B. G. IV, 19, 4) rem quam simplicissime narrando dissimulare conatur se non nisi graviore clade in Germania accepta coactum diebus XVIII trans Rhenum consumptis in Galliam rediisse et pontem in Rheno factum rescidisse.

VI.

Ov. Heroid. XII, 151 :

Hinc mihi, mater, abi! pompam pater, inquit, Iason
  Ducit et adiunctos aureus urguet equos.

In priore versu lege: Huc, mihi, mater ades!

VII.

Ov. Met. VIII, 121 sq:

Non genetrix Europa tibi est, sed inhospita Syrtis,
Armeniae tigres austroque agitata Charybdis.

Deleatur versus posterior.

VIII.

Ov. Met. XIII, 334 sqq:

Tamque tuis potiar, faveat Fortuna, sagittis,
Quam sum Dardanio, quem cepi, vate potitus;
Quam responsa deum Troianaque fata retexi;
Quam rapui Phrygiae signum penetrale Minervae
Hostibus e mediis. Et se mihi comparat Aiax?
Nempe capi Troiam prohibebant fata sine illo.
Fortis ubi est Aiax? e. q. s.

Interpolatori debetur versus 339.

IX.

Hor. Carm. I: 20, 10:

Tu *bibes* uvam.

Reiciendum est, quod nuper proposuit F. Krohn (Berl. Phil. Woch. 1911, Nr. 12): *iubes*.

X.

Seneca, de Providentia, C 2, § 2:

Quis autem, *vir modo et erectus* ad honesta, non est laboris adpetens iusti et ad officia cum periculo promptus?

Lege: *vir modo sit, erectus.*

XI.

Hyg. fab. XXIII:

respondit Alcinous: si virgo fuerit Medea parenti redditurum, sin autem mulier coniugi.

Scribendi ratio qua Hyginus utitur postulat: <se> si virgo fuerit cett.

XII.

Gell. XVI: 5, 3:

— vestibulum — locum ante ianuam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad aedis est, cum dextra sinistraque *ianuam tectaque* sunt viae iuncta atque ipsa ianua procul a via est, area vacanti intersita.

Lege: cum dextra sinistraque *adiacent tecta quae* cett.

XIII.

Apud Livium XXI, 46 verba: „Hic erit iuvenis, penes quem perfecti huiusce belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Hannibale Poenisque appellatus" interpolatori debentur.

XIV.

Aristotelis ex Arte poetica (1461 *b*) verba *ὀρθὴ δὲ ἐπιτίμησις καὶ ἀλογίᾳ καὶ μοχθηρίᾳ, ὅταν μὴ ἀνάγκης οὔσης μηδὲν χρήσηται τῷ ἀλόγῳ ὥσπερ Εὐριπίδης τῷ Αἰγεῖ* ad Euripidis Medeam pertinere, non ad Aegeum, ex nudo dativo apparet.

XV.

Iniuria Godofredus Hermann et Vahlen Aristotelis ex Arte poetica (C. 17) verba *οἷον ἐν τῷ Ὀρέστῃ ἡ μανία δι' ἧς ἐλήφθη καὶ ἡ σωτηρία διὰ τῆς καθάρσεως* ad Eur. Iph. Taur. 274 sqq. referunt.

XVI.

Eur. Med. 632 *μήποτ', ὦ δέσποιν', ἐπ' ἐμοὶ χρυσέων τόξων*
ἐφείης ἱμέρῳ χρίσασ' ἄφυκτον οἰστόν.
Legatur *ἀφείης*.

XVII.

Homerus ξ 24: *οἱ δὲ δὴ ἄλλοι*
ὤιχοντ' ἄλλυδις ἄλλοι ἅμ' ἀγρομένοισι σύεσσι,
οἱ τρεῖς.
Pro *ἄλλοι* leg.: *ἄνδρες*.

XVIII.

Lysias I, § 1 extr.: *τὰς ζημίας μικρὰς ἡγοῖσθε.* Lege *πάσας ζημίας.*

XIX.

Lysias XII § 84 sqq.: *τοσοῦτον ἢ ὑμῶν καταπεφρόνηκεν ἢ ἑτέροις πεπίστευκεν· ὧν ἀμφοτέρων ἄξιον ἐπιμεληθῆναι, ἐνθυμουμένους ὅτι οὔτ' ἂν ἐκεῖνα ἐδύναντο ποιεῖν μὴ ἑτέρων συμπραττόντων οὔτ' ἂν νῦν ἐπεχείρησαν ἐλθεῖν μὴ ὑπὸ τῶν αὐτῶν οἰόμενοι σωθήσεσθαι, οἳ οὐ τούτοις ἥκουσι βοηθήσοντες, ἀλλὰ ἡγούμενοι πολλὴν ἄδειαν σφίσιν ἔσεσθαι τῶν <τε> πεπραγμένων καὶ τοῦ λοιποῦ ποιεῖν ὅτι ἂν βούλωνται, εἰ τοὺς μεγίστων κακῶν αἰτίους λαβόντες ἀφήσετε.*

Pro *ἑτέροις* legatur *<τοῖς> ἑταίροις*; pro verbo *ἐλθεῖν* restituendum est *λέγειν.*
